







PRINCIPIVM  
CVI RELIGIONIS CHRISTIANAE AVCTOR DOCTRINAM DE  
MORIBVS SVPERSTRVXIT AD TEMPORA EIVS ATQVE  
CONSILIA APTISSIME ET MAXIME ACCOMMODATE  
CONSTITVTVM.

---

DISSERTATIO

Q V A

VIRO MAGNIFICO  
SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
D. FRANCISCO VOLKMAR REINHARD

NOMINE EORVM

QVI HVCVSQVE SVB EIVS AVSPICIIIS  
INTERPRETANDO SCRIPTORES ANTIQVOS SCRIBENDO  
AC DISSERENDO SE EXERCVERVNT  
PRO INSIGNI FAVORE ET FIDELISSIMA CVRA

QVA SOCIETATI ILLI PRAEFCIT

GRATES PERSOLVIT

SIMVLQVE

*NOVA ET SPLENDIDISSIMA MVNERA*  
CONCIONATORIS AVLICI PRIMARII ET CONSILIARII  
ELECTORIS SAXONIAE IN SENATV ECCLESIA-  
STICO ET CONSISTORIO SVPREMO  
CAPESENTI GRATVLATVR

AVCTOR

*GVILIELMVS TRAVGOTT KRVG*

LL. AA. M. ET SS. LL. C.

---

VITEBERGAE CAL. APRIL. A. O. R. MDCCXCII.

---

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRII.



BRUNNEN  
ON BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN

BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN

BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN

BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN

BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN

BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN  
BRUNNEN





V I R  
MAGNIFICE AC SVMMME VENERABILIS  
PRAECEPTOR ET PATRONE OPTIME

Quamuis multa essent, quae animum meum ipsa natura paullo  
timidiorem ac verecundiorem deterrere poterant, quo minus  
susceperem provinciam ab amicissimis commilitonibus in me delatam,  
ipsorum nomine publicis verbis TE alloquendi ac salutandi: nihilo  
tamen secius perpendens, quanta beniuolentiae TVAE atque institu-  
tioni accepta referam beneficia, quamque opportunam ea re nan-  
ciscerer occasionem, animo meo satisfaciendi, TIBIque declarandi,



quantopere TE colam, suspiciam, venerer, facile memet adduci passus sum, ut animi, quo erga TE affecti sint discipuli TVI, interpretis munere, et in se iucundissimo, et apud omnes, qui TE colunt, (at! quantum numerum!) honorificentissimo fungerer. Nos quidem, quum primum aures fama percelleret, fore, ut CLEMENTISSIMI PRINCIPIS nostri gratia abhinc euocatus, orbam relinquas non istam modo societatem nostram, quae TVIS sub auspiciis per tredecim, et quod excurrit, annos semper integra floruit, sed simul hanc quoque Academiam hucusque illustri TVO nomine studisque saluberrimis exornatam et nutritam: graui afficiebamur dolore, atque cum communi omnium, quos alma Viteberga alit, luctu nostras quoque miscebamus querelas. Verum non illum dolebamus dolorem, qui tum omnium, quibuscanque cara erat patria, animos tetigerat, cum ante aliquot annos a Principe quodam literarum amantiſſimo magnorumque ingeniorum cupidissimo ex his terris auocatus abitum parares. Iam enim consolabatur animum, acerbitatemque doloris leniebat cogitatio de vniuersae patriae salute, cui nostra posthabentes commoda aequiore animo iacturam priuatam ferre didicimus. Ne tamen ingrati videremur erga TE, VIR MAGNIFICE ac SVMME VENERABILIS,



LIS, e cuius favore, studio, et interiori disciplina emolumenta in nos redundarunt et uberrima et grauissima, non potuimus a nobis impetrare, quin TIBI hunc nostrum erga TE animum publice testificaremur. Accipias igitur, quaeso, vultu beneuolo exiguum hoc gratiarum, quas TIBI habemus, ac pietatis et obseruantiae, qua TE in aeternum colemus, specimen; TIBIque habeas certissime persuasum, nos omni ope aduersuros esse, ut TVAS virtutes memoriae nostrae altissime infixas semper intuentes, et, quantum fieri possit, imitantes aliquando digni tanto magistro euadamus discipuli. Et cum iam in eo sis, ut labores, curasque TVAS in totius patriae salutem impendas, atque ex altiori, quo TE Deus, rerum humanarum prouidus rector, collocavit loco, rei ecclesiasticae prospicias: pia simul TIBI offerimus vota, Deum ter O. M. assiduis enixissimisque efflagitantes precibus, ut hanc rem faustam, felicem, fortunatamque esse iubeat; ut TE Ipsum in patriae salutem, ciuium gaudium, literarumque ornamentum quam diutissime viuis interesse, TEque bonorum meritis TVIS accommodatorum affluentia cumulare; GENTEM vero TVAM SPLENDIDISSIMAM semper incolumem ac sospitem praestare, omnique felicitatis ac deliciarum genere beare velit. Vale igitur, O! et Praesidium et dulce decus nostrum,



*terque quaterque vale! et nos fauori illi, quo hucusque nos dignatus es, in posterum etiam, quando TE coram intueri et ab ore TVO pendere non amplius licebit, commendatos habeas, rogamus*

**NOMINI TVO  
MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO**

additissimi cultores

- M. *Ioannes Philippus Leisner*, Oberoeblinga - Thuringus.  
M. *Guilielmus Christianus Gottlob Weise*, Nebra - Thuringus.  
M. *Gottlob Fridericus Artzt*, Teichwolframsdorffensis - Variscus;  
M. *Guilielmus Traugott Krug*, Radisensis - Saxo.  
*Fridericus Guilielmus Seyffarth*, Belgorano - Misnicus.  
M. *Ioannes Augustus Henricus Tittmann*, Longosalissa - Thuringus.  
M. *Ioannes Georgius Tinius*, Staako - Lufatus.  
*Ioannes Christianus Grasse*, Vitebergensis.  
*Godofredus Stigismundus Klengel*, Gruenberg - Misnicus.  
M. *Ernestus Traugott Spitzner*, Trebitiensis - Saxo.  
*Carolus Fridericus Widemann*, Plauia - Variscus.  
M. *Carolus Christianus Ernestus Charitius*, Vitebergensis.  
M. *Ioannes Fridericus Krause*, Reichenbaco - Variscus.  
*Carolus Henricus Gritzner*, Kürbitio - Variscus.  
*Ioannes Gottlob Horst*, Vitebergensis.  
M. *Lebrecht Fridericus Constantinus Hertel*, Wildenfelfensis - Montanus.  
*Fridericus Theophilus Gernhard*, Namburgensis.  
*Augustus Fridericus Guilielmus Rudolph*, Burgholzhusa - Thuringus.  
*Ioannes Andreas Franke*, Anhaltino - Cotheniensis.  
*Ioannes Christianus Godofredus Praedikow*, Vitebergensis.  
*Gottlob Guilielmus Althans*, Tauteburgensis - Thuringus.  
*Ioannes Fridericus Wild*, Niemegegensis - Saxo.







lit. Huius vero legis in populari institutione propemodum primariae diuinum religionis Christianae auctorem fuisse tenacissimum obseruantissimumque, omnes une ore fatentur, qui rationem, qua Iesus in docendo usus est, siue ex instituto exposuerunt, siue aliud agentes tetigerunt. Manifesto enim e sacris commentariis de vita Iesu ac rebus gestis memoriae traditis elucet, omnia, quaecumque alios instituendo, corrigendo ac monendo ab eo sunt proposita, et aetati, qua vivebat, et regioni vel loco, vbi versabatur, et hominibus, quibuscum ei res erat, ita fuisse adaptata et accommodata, vt his propria et quasi peculiaria esse videantur. Semper enim ob oculos habebat positos siue errores quosdam et praedicatas opinioniones, quibus ista aetas erat obnoxia; siue certa quaedam vitia vniuersamque animi indolem eorum, quibuscum iam agebat; siue denique alias res cum re proposita ita coniunctas, vt magna ipsis inesset vis ad dicta eius et monita vel confirmanda et illustranda, vel obscuranda et infringenda. Cuius quidem rei tot tamque luculenta vestigia in plurimis Iesu orationibus ac sermonibus siue ad mixtam aliquam turbam, (*Matth. V — VII. Joh. VI, 22 — 59.*) siue ad singulos quosdam homines, (*Joh. III, 1 — 21. c. IV, 1 — 42.*) siue denique ad amicos suos et discipulos habitis, (*Joh. XIII. ff.*) inprimis vero in pernitentis fabularum et allego-riarum, quibus more aetatis saepenumero grauissimas sententias et admonitiones includebat, attentus lector reperiet, vt longiore probatione non opus sit. Inde autem patet, ei, qui religionis placita et praecepta a Iesu et ab eius discipulis, magistri morem hac in re maximam partem secutus, proposita recte velit diiudicare, eorumque causas ac vim accurate perspicere, istarum quoque rerum rationem quam maxime esse habendam. Quod cum negligerent religionis doctores superiorum inprimis temporum, in multis rebus, iisque saepenumero grauissimis, aut intelligendis et explicandis, aut adhibendis et in vitae usum transferendis perperam versati sunt. Quodsi enim ea, quae in N. T. de precum vi et forma, (*Matth. VI, 5 — 13. c. VII, 7. 8. Joh. XIV, 14.*) de paupertate ac bonorum externorum usu, (*Matth. VI, 19. ff. Marc. X, 17. ff.*) de fidei ac bonorum operum discrimine et vi, et de rerum futurarum imaginibus, quas τῶρες appellant, (in *ep. ad Rom. et Hebr.* et passim alibi) a scriptoribus sacris differuntur ac praecipuntur, ex rerum, quae circumstant, ratione, hominumque, quibus illa dicta sunt, conditione metiri ac iudicare voluissent: nec spes multorum inaniter conceptae, adeoque elusae, nec precandi formulae peruersae usurpatae, nec vita monastica temere instituta, nec infinitae et vanae con-  
trouersiae turpiter gestae forent. Nullibi vero magis istam rationem et cautionem adhibendam esse, quam in virtutum praeceptis ab auctore religionis no-  
strae

a) vid. WETSTENII *libb. ad cris. atque interor. N. T. p. 139 ff.* et *p. 149 ff. ed. Semler.* vbi auctor docet, quantum ad ve-

ram et legitimam interpretationem valeat, ad hanc rem curiose attendisse.



strae propositis explicandis et diiudicandis, VV. DD. recentiori praecepae  
 acetate scite obseruarunt, seduloque commendarunt. Intellexerunt enim,  
 permulta illorum praeceptorum aut plane omittenda et ressecanda esse ex accu-  
 rata omnibusque omnino hominibus accommodata morum doctrina, aut  
 non prius in eam recipienda et admittenda, quam definitum esset, utrum au-  
 gustioribus limitibus circumscribi et comprehendi debeant, an relaxari potius  
 et amplificari; propterea quod illorum temporum, locorum, hominumque  
 conditioni unice conuenire videantur.<sup>b)</sup> Cum vero Iesus omnia virtutum prae-  
 cepta ad vnum aliquod et summum retulerit, et ad id vniuersam de moribus  
 doctrinam conformandam esse statuerit, recte quaeri posse videtur, ane forsitan  
 Iesus, qui in singulis praeceptis fere semper tempora hominesque spectabat, etiam  
 in ipso doctrinae suae de moribus principio constituendo huius rei aliquam habue-  
 rit rationem? Quoniam enim plura eiusmodi principia excogitari possunt, atque  
 etiam a philosophis antiquiorum et recentiorum temporum inuenta sunt et con-  
 stituta: causam exinde admodum probabilem erui posse putamus, cur tandem  
 hoc potissimum usus fuerit omnium, qui vniquam extiterunt, sapientissimus re-  
 ligionis morumque praeceptor? Neque vero hanc ista quaestio habet vim, vt  
 ostendatur, praeceptum illud, cui Iesus doctrinam suam de moribus tanquam  
 fundamento superstrui voluit, non ad omnes omnium temporum locorumque  
 homines pertinere; quod et ab animi nostri sententia, et a consilii viriumque  
 nostrarum ratione alienissimum esset. Eo potius spectat illa res, vt appareat,  
 quantam vim et efficaciam habuerit morum disciplina a Iesu proposita ad emen-  
 dandos formandosque hominum animos, quanta igitur sit praestantia huius ipsius  
 disciplinae, et quanta fuerit sapientia eius, qui eam condidit atque instituit, *De-*  
*lati* autem sumus ad hanc potissimum quaestionem discutiendam eo, quod no-  
 strorum temporum rationi admodum apta et accomodata videbatur. Satis enim  
 constat, ex quo celeberrimus ille Regiomontanus philosophus in omni philo-  
 sophandi ratione nonas prorsus et rectiores vias tentaret, adeoque etiam nouum  
 doctrinae de moribus principium proponeret, multos fuisse, qui hoc cum illo,  
 quod diuinus religionis nostrae auctor constituit, contenderent. Inter quos cum  
 alii statuerent, utrumque inter se re ipsa conuenire,<sup>c)</sup> alii vero unum alteri prae-

A 2

flare

b) vid. S. V. REINHARD in *system. doctr. mor. Christi*. T. I. §. 12. coll. T. II. §. 278. *ed. Imae*, vbi haec res illustri quodam exemplo e praeceptis Christi circa diuortia pe-  
 fito comprobatur; et S. V. NITZSCH in *commentat. I. de iudicandis morum prae-*  
*ceptis in N. T. a communi omnium homi-*  
*num ac temporum usu alienis*, qui etiam  
 (p. 9 ff. in subiecta nota) exempla antiquo-

rum religionis doctorum attulit; qui hac ex parte errores admerunt.

c) Ita S. V. SCHMID in libro, qui in-  
 scribitur: *über den Geist der Sittenleh-*  
*re Jesu und seiner App.*; et alii, quos id.  
 excitat p. 37. lib. laud. quam tamen senten-  
 tiam refutare studuit Cl. MAASS libello,  
 cui titulum fecit: *über die Aehnlichkeit der*  
*christl. mit der neuesten philos. Sittenlehre.*



flare conferent: d) nostri quidem humeri rem tam grauem ferre recusant, nec audeamus aut fas habemus sententiam nostram in medium proferre, nosque ipsos cum magnis illis viris componere; veniam tamen speramus datum iri symbolae, quam pro opum, quas paratas habemus, tenuitate, ad istam rem diiudicandam historia suppeditante conferre decreuimus. Haud enim philosophicis atque subtilibus rationibus vsi, sed e rebus potius in facto atque in aperto positis vim atque praestantiam principii doctrinae de moribus, quo Iesus vsus est, exponere conabimur. Ex eiusmodi enim disquisitione multa peti posse videntur, quae vel ad litem istam quodammodo dirimendam, vel ad Domini nostri diuinam plane sapientiam rite aestimandam valere queant. Ostendendum igitur nobis summus, principium, cui religionis Christianae auctor doctrinam de moribus superstruxit, ad tempora eius atque consilia aptissime et maxime accommodate constitutum fuisse.

Qua quidem in re tractanda ita versabimur, vt primum hominum tum temporis, quo Iesus docuit, viuentium conditionem, quatenus huc pertinet, inuestigamus ac depingamus; deinde ostendamus, ea, quae ante Iesum alii tentarunt reuolueris animi indolis praesidia, huic conditioni minus fuisse apta et accommodata; quibus expositis facile apparebit, illud remedium, quod Iesus adhibuit ad prauam istam conditionem corrigendam tollendamue, hoc est, principium eius doctrinae de moribus, et temporibus Iesu aptissimum et ad consequendum id, quod ipsi erat in consiliis, accommodatissimum fuisse.

Item quod ad hominum Christi aetate viuentium conditionem attinet, facile intelligitur, non ea solummodo tempora hic respicienda esse, quae proxime ad Christi aetatem pertinent, sed simul etiam rationem habendam anteriorum seculorum. Cum enim opiniones ac vitia una cum hominibus propagentur, atque a maioribus natu posteris quasi ingenerentur et insilluntur, horum conditio non potest

d) vt P. R. EWALD ex vna parte in elegantissimo libello: *über die Kantische Philos. mit Hinsicht auf die Bedürfnisse der Menschheit*, p. 56 ff. ex altera vero parte plurimi, qui isti philosophiae fauent, praecunte KANTIO, qui, quamuis de indole doctrinae Christianae moralis diuersis locis admodum honorifice loquitur eam reliquis philosophorum veterum hac de re praecceptis longe anteponeus, (vid. eius *Crit. der prakt. Vernunft*, p. 153—4, et 229—30.); tamen cum alibi contendat, veram virtutem non ex amore et voluntate animi ad recte faciendum vltro inclinante nasci posse ac debere, sed ex sola obseruantia et reuerentia legi a

ratione praescriptae debita, quae animum ad obsequium quasi cogat, (*ib.* p. 145—7.); atque existimet, principio doctrinae de moribus a Iesu constituto perfectissimum tantum *sanctimoniae* exemplar proponi, quae soli diuinae naturae propria sit, a naturis autem creatis finitisque non possit obtineri, (*ib.* p. 149—52.): innuere videtur, principium illud humanae naturae non satis conuenire, adeoque ad doctrinam de moribus omnibus numeris absolutam ei superstruendam aptum et accommodatum non esse; quod si vel concesserit quis, nostra tamen thesis salua manet.



potest accurate intelligi, nisi e superiorum temporum ratione causae huius rei repetantur. Consideranda igitur a nobis est *conditio praeceptorum hominum* in uniuersum. Neque vero tamen omnia huc referenda sunt, quaecumque ad hanc conditionem pertinent; sed ea tantum ex omni antiquitate delibentur opus est, quae cum consiliis Iesu in constituendo morum doctrinae principio coniuncta sunt. Explicandus igitur a nobis est in primis *modus, quo affectus erat animus humanus erga deum hominesque alios*. Ad haec duo enim redeunt fere cuncta ea, quibus ad vim et rationem principii a Iesu constituti perspicendam inest aliquid momenti.

Quod si igitur primo loco modum respicimus, quo affectus erat animus humanus erga *deum*, negari non potest, praecis temporibus *timore ac metu supremi Numinis* genus humanum, uniuerse spectatum, agitatum fuisse. Probat hunc primum quidem ipsae *loquendi formulae, imagines ac descriptiones*, quibus antiqui scriptores supremum Numen, eius attributa, sentiendique et agendi rationem appellant ac depingunt. Ex his enim manifesto apparet, notioni dei timoris cogitationem ac sensum plerumque fuisse admixtum. Neque hoc profanis solummodo, qui vulgo dicuntur, scriptoribus est proprium, sed in ipsis quoque Iudaeorum libris sacris perspicua huius rei reperiuntur vestigia. Sic ipsum nomen hebr. אלהים vel אלהו quo deus in illis saepissime audit, proprie denotat *numen metuendum ac tremendum*, ut SCHULTENS probauit in *comment. in Iob. I. 1. 6*); atque etiam nomen ארון vel ארוני de deo saepius usurpatum, et aliae dei appellationes, ut אלה גבור (אל שדי!) innuunt timorem a summo Numine praecorum hominum animis inhaerentem; sunt enim omnes a fortitudine, robore et

A 3

poten-

e) Descendit nempe אלה a voce arab. אלה, cuius vis primaria in *pauore ac stupore* versatur; deinde vero ad cultum religiosum transfertur, quo tremendam illud Numen venerandum sit. Hinc interdum, ut Pl. LXVIII, 36. nomini אלהים epitheton נורא additur; et Sirac. I, 8. Deum, Φοβερον σφοδρα appellat. conf. Deut. X, 17. In primis autem Gen. XXXI, 42. 53. ubi אלהי אברהם et אלהי יצחק ita commutantur ei sibi inuicem copulantur, ut aperte inde eluceat, utrumque significare Nomen tremendum, quod Abraham et Isaac venerati sunt.

f) Ies X, 21. Ipsa vox אלה multis a robore et potentia desumpta esse videtur, et vulgo ad rad. אלה vel אלה refertur, quomnis contra disputet אלהוים in Lex. referens eam

ad pronom. tert. pers. אלה, ille, quo, uti et אלהו, Orientales de deo loquentes vsi sint. Sed haec ipsa consuetudo timorem quandam arguit, dei vim ac maiestatem tantopere reuerentem, vt illum proprio nomine appellare nefas ducatur.

g) Genes. XVII, 1. Ps. LXVIII, 15. Siue deriuues vocem אלהו a שרר, vt *vastator* denoter, siue a שרה, vt sit *fulminum iactator*; siue ab arab. שري, vt *validum ac potentem* significet, semper metus cuiusdam notio adiuncta est. Aliae enim etymologiae, e quarum ratione illa vox, *bonorum omnium fontem, benefactorem* significet, VV. DD. parum probantur, vid. IRENII *dissertat. philologico-theoll. T. I. diss. 1. de nomine שרי*.



potentia desumptae, quae virtutes terrent quidem animum et in admirationem sui rapiunt, sed ad amorem eum allicere non possunt. Verum ne plus iusto ex nominum significatibus ac deriuationibus eruamus, cum ea res argutior videri possit, quam ut certi aliquid inde possit effici; cumque etiam adsint Numinis appellationes, quae benigniorem admittunt interpretationem:<sup>h)</sup> transeamus ad alias loquendi formas, imagines et descriptiones, quibus Numinae sensus quidam aut actiones tribuuntur, ac videamus, quanam illis insit vis ad probandam sententiam nostram. Iam vero nemini potest esse obscurum, qui vel obiter sacros Iudaeorum libros inspexerit, innumeros in iis occurrere locos, in quibus de Numinis ira, feruore, excaescentia ignis instar flagrante, omniaque comburente dissestatur;<sup>i)</sup> vel deo zelotypia quaedam cum summa indignatione coniuncta tribuatur, quae est animi affectio admodum tremenda iis, erga quos erumpit;<sup>k)</sup> vel denique deus eorum, qui mandata eius violant, aut alio quo modo quidquam delinquant, acerrimus hostis sistatur, qui aduersarios suos eorumque posteros implacabili odio persequatur, de iis vindictam fumere gestiat, atque omnino omnes, qui sese ipsius imperio submittere nolint, grauissimis calamitatibus afficere, penitusque euertere ac perdere studeat.<sup>l)</sup> Quae omnia manifesto demonstrant, Iudaeos Iehouam suum magnopere metuisse.

Apud reliquos autem populos eandem de summo Numine cogitandi rationem inualuisse, eodem modo facile potest probari. Pleni sunt historicorum veterum atque inprimis poetarum libri deorum *ira* atque *inuidia*, Hos cuiusuis calamitatis impendentis duriusue grassantis auctores habebant; nec grauiore solummo-

h) Sic HEROD. II, 52. monet, Pelasgos θεος propterea sic appellasse, ότι ποσιμω θευτες τα πάντα πηρυματι και πασις νομας ειχον. PLAT. tamen in *Cratyl.* p. 258. Vol. III. ed. Bip. φησιν ουτοι μοι, Socratem inducit loquentem, οι πρωτοι των ανδραπων μονες θεος ηγεισαν ηλιον, και σεληνην, και γην, και αστρα, και ερανον, απεραν αυτα δραντες παντα και ιωτα δρομην και θεοντα, απο ταυτης της φυσικως της τα θεου, θεος αυτες επονομασαν. Idem pag. 19. δαιμονας nuncupatos esse censet, ότι φρονιμοι και θαηρονες ησαν.

i) v. c. *Pf.* II, 5. XXXVIII, 2. LVI, 8. LXIX, 25. LXXIV, 1. *Hof.* VIII, 5. *Mich.* VII, 9. *Zach.* VII, 12. *Ief.* IX, 18. c. X, 5. 6. 25. c. LX, 10, etc.

k) e. gr. *Ex.* XX, 5. c. XXXIV, 14. *Deut.* IV, 24. c. VI, 15. c. XXXII, 16. 21. etc.

l) vid. praeter li. iam li. *Pf.* V, 6. 7. 11. VII, 7. 12. li. XXXIV, 17. XXXVII, 20. 22. 28. 38. *Ief.* X. c. XIII, 9. c. XIV, 5. 6. etc. Caeterum non ii sumus, qui his observationibus impunitatem vitorum suadere, aut auctoritati li. si. diuinae aliquid detrahere cupiamus. Tantum enim absurdum ab illa temeritate, vt potius hac ipsa in re supremi Numinis iustitiam et benignitatem, simul vero etiam summam ipsius sapientiam et agnoscamus et sancte veneremur, quae cum hominibus semper ita egit et locuta est, vt ingenium eorum terre poterat. Praeclare hanc in rem GROT. de ver. rel. *Christ.* V, 6. ait: *Solent parentes cum infantibus balbu-*



lummodo casus, sed minima quoque infortunia ab iisdem repetebant.<sup>m)</sup> Sic Epirotae, vt *IVST.* refert *XXVIII*, 3. §. 5 — S. caedem Laudamiae ad aram Dianae patratam a diis immortalibus vindicatum esse crediderunt non furore solum ac denique morte Milonis, qui illam percusserat, sed totius prope populi interitu, immisilis affiduis cladibus, sterilitate, fame, intestinis dissidiis, externis ad postremum bellis. Nec minus Aetoli calamitatum, quibus premebantur, omnium Dianam effedricem habebant ad sacrificiales Oenei epulas haud adhibitam, ac propterea *δυνα ποιισαν και σχετλιαζεσαν*, vt *LVCIANVS* irridens ait.<sup>n)</sup> Vniuersus autem Graecorum exercitus apud *НОМ. II. α*, 42 ff. suadente Calchante pestem in castris suis saeuientem, magnamque sui partem absumentem ab Apolline immisillam putabat, qui sagittis suis iniuriam et contumeliam ab Agamemnone Chrylae, dei sacerdoti, filiam suam repetenti illatam ulcisceretur. Ipsi dii Homerici, quamuis nobis videantur magis ridiculi, quam terribiles, tamen pro illorum temporum ratione, vbi Homeri carmina in omnium manibus et ore versabantur, atque ad ipsorum puerorum institutionem adhibebantur, non poterant non superstitiosis animis timorem sui incutere. Nam, vt est apud *CIC. de nat. dd. II*, 28. §. 70., *et periturbatis animis inducuntur: accipimus enim deorum cupiditates, aegritudines, iracundias: nec vero dii bellis proelisque caruerunt, cum duo exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent.* Hinc solam Patris Graedii a Diomedae Palladis ope vulnerati vocem tam terribilem fuisse narrat poeta, vt vtrumque exercitum summus horror inuasert.<sup>o)</sup> Idem non solum cum aliis de faeuis Erinnyibus loquitur, sed etiam singularem deam, *Aten*, a summo Numine procreatam finxit, quae omne studium omnesque labores in eo ponat, vt

*balbutire: ad aetatis vitia conuincere — at vbi processit aetas, corrigitur sermo.*

<sup>m)</sup> Tetigit hoc iam *PLUTARCH.* in *lib. peri deisidaimonias*, *Opp. T. II* p. 168. *lit. A. ed. Francof.* του δεισιδαιμονια ita describens: *ει και μικροτατον αυτη καιον το συμπεπταως εστιν — παντων του θεου αιτιαται, και κειθεν επ' αυτον ηκειν και φερεσθαι βενμα δαιμονιον απησ φησι, και, ως ε δυσυχης ων, αλλα θεομισης τις ανθρωπος, υπο των θεων κολαζεσθαι, και διην διδοσθαι* et *ib. lit. C.* τη δεισιδαιμονια και σωματος αρρωστια πασσι, και χροματων αποβολη, και τεινων θανατοι, και περι πολιτικας πραξεις δυσμερεια και υποτευξεις, πληγαι θεκ και προσβολαι δαιμονος λεγονται. Exemplum vero huius rei vid. apud *eund.* in *lib. de his, qui sero a numine puniuntur.* p. 557. *lit. A.*

<sup>n)</sup> in *lib. de sacrific.* *T. II.* p. 250. *ed. Schmid.* Paullo ante dixerat: *τα Αιτωλικα παιδη, και τας των Καλυδωνιων συμφορας, και τας ποστας Φονας, και την Μελεαγρε διαλυσιν, παντα ταυτα εργα φασιν ειναι της Αρτεμιδος μεμνημοιστης, οτι μη παρελληφθη προς την θυσιαν υπο τα Οινεως ετως ακα βαθειας καθιμετο αυτης η των ιερειων διαμαρτια.*

<sup>o)</sup> vid. *II. s.* 846—63. vbi inprimis vers. 862—3. ait poeta:

*τας δ' αρ' υπο τρομος ειλεν Αχαιας τε,  
Τρωας τε  
δεισαντας' τοσον εβραχ' Αρης, ατος  
πολεμοιο.*

De veritate autem talium fabularum fictio-  
numque persuasum fuisse multitudini, testa-  
tur



vt hominibus noceat. <sup>p</sup>) Cuius vero lectoris VIRGILII animum non subit  
saeuae memor Iunonis ira, (*Aen.* I, 4.) quae numine laeso dolens (*ib.* v. 8—11.)

— — — — — tot voluere casus  
Insignem pietate virum, tot adire labores  
Impulerit;

vt ipse VIRGILIUS exclamet:

— — tantaene animis coelestibus irae!

Simili ratione poetarum tragicorum fabulae plerumque totae in eo versantur, vt homines saepenumero innocentes et integerrimae indolis vel ob delicta quaedam haud consulto admitta, vel duri fati necessitate oraculorumque effatis pressi a diis iratis et vindictae cupidis vexentur, miserrimisque casibus et cruciatibus obiciantur. <sup>q</sup>) Neque vero ob iracundiam solum et vlciscendi libidinem, sed ob inuidiam quoque et malevolentiam deos sibi timendos sinxerunt veteres. Tantopere enim eos hominum omnis splendidae et constanti fortunae inuidere putabant, vt si quando cuidam omnia ex voto successissent, isque magna bonorum copia afflueret, statim malevoli dii coniurati quasi exfurgerent, ad eum e pristino felicitatis statu in summam miseriam deiiciendum ac deturbandum. Sic Herodotus narrat, <sup>r</sup>) cum Polycrates, famosus ille Sami tyrannus, rebus secundis omnibus mirum in modum effloruisset, Amasin, Aegypti regem, qui hospitii foedus cum illo inierat, ei scripsisse: *εμοι αἰ σαι μεγαλαυ ευτυχια εν αρεσκεισ επισημενα*

το

tur c. 1. l. addens: haec et dicuntur et creduntur stultissime.

<sup>p</sup>) vid. *Il.* 7, 90—95. vbi inter alia haec leguntur:

— — — θεος δια παντα τελευτα,  
πρεσβυ Διος θυγατηρ Ατη, η παντας  
ακατα  
ελομενη — — ηγε κατ' ανδρων κρηατα  
βανει  
βλαπτεισ' ανθρωπων.

<sup>q</sup>) HUGO BLAIR, qui in *Vorles. über Rhet. und schöne Wiss.* T. IV. Prael. 43. p. 224. vers. theot. idem obseruat, et exempli causa Oedipum Sopholis, Euripidis Iphigeniam et Hecubam assert, hanc ob causam vituperat veteres poetas tragicos, iisque hac ex parte longe anteposit recentiores, qui malorum causas non ex effatis aut ira Numinis repetant, sed ex ipsorum hominum vitii, et euentibus rerum naturalibus. Ve-

rissime quidem, si res ex nostra cogitandi ratione spectatur. Sed Vir acutissimus parum memor fuisse videtur praeepti, quod paullo post (*p.* 241. fin.) ipse constituit, *tempora esse distinguenda.* Fingebant enim veteres poetae fabulas suas et componebant ex suo aetatisque suae sentiendi et cogitandi modo, nostri ex nostro; utriusque autem recte commode ac bene. Ita et nobilissimi recentiorum poetarum, vt Shakespear, Klopstock, Bürger, alii, praeeceptis quibusdam vulgi opinionibus sese accommodarunt, iisque haud infelicitur vsu carminibus suis insigne decus et vim ad hominum animos detelcandos et commouendos conciliarunt.

<sup>r</sup>) *lib.* III, 39—43. *Id.* I. I, 34. ait, *ελαβε εν δεκ νεμεσις μεγαλη κροισος*, quoniam nempe antea erga Solonem sese fortunatissimum mortalium praedicauisset. cf. etiam I. VIII, 13.



το θεου ως εστι φθασεν ac propterea suasisse, ut id, quod ipsi esset carissimum e rebus suis, abiiceret, ad inuidiam deorum auerruncandam. Cum igitur ille monitis his obtemperans gemmam suam signatoriam mirae pulchritudinis ac pretii in mare abiiecisset, ea vero forte fortuna in pice quodam in Polyeratis culinam deportato rursus inuenta esset, Amasin, cui hoc renuntiaisset Polycrates, soluisse hospitii ius cum eo initum, certissime persuasum, fore, ut ille Numinis inuidia ob nimiam fortunam misere serius ocyus pereat. Eandem ob causam M. Furius Camillus, dictator, cum praeda, Vejis captis, spe sua et opinione longe maior esset, manus ad coelum tollens precatus est: *si cui deorum nimia sua fortuna populique Romani videretur, ut eam inuidiam lenire suo privato incommodo, quam minimo publico populi Romani liceret.*<sup>5)</sup> Ex his allatis locis, exemplis et testimoniis iure concludi posse videtur, hanc diuini Numinis notionem timoris ac paene terroris plenam temporibus Christi communem atque vulgarem fuisse. Nec putauerim huic sententiae refragari CICERONIS auctoritatem, qui *de off.* III, 28. §. 102. ait: *commune esse omnium philosophorum, numquam nec irasti deum, nec nocere, adeoque, ut statim ab inuit. cap. 20. addit: Iouem non metuendum esse, ne iratus noceat, si quis iniurandum violauerit; aut Balbi Stoici sententiam, qui apud eund. de nat. dd. II, 66. §. 167. contendit, non, si segetibus aut vineis cuiuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, iudicandum esse, eum, cui quid horum acciderit, iniustum deo esse.* Quod enim inter paucos quosdam philosophiae praeceptis imbutos constabat, id plebem aequae cognitum habuisse, quis crediderit? Atque hoc ipsum, quod philosophus iste opinionem hanc carpit, arguit, eam fuisse valde communem et vulgo vsitatam.<sup>6)</sup> Imo ante inleuit peruersa illa de Numine cogitandi ratio animis, ut post Christi adeo patefactam doctrinam plurimi imperii Romani incolae ethnico cultui dicati calamitatis publicae per irruptiones barbararum gentium ab exeunte sec. 4. imperio illatae causam in eo positam esse arbitrarentur, quod dii ob neglectum et contemptum per Christianos cultum suum irati essent. vid. *Exc. SCHROECKH in hist. eccl. Tom. VII, p. 246 ff. et Tom. XV, p. 430 ff.*

Haecenus

5) vid. *LIV. V, 21. coll. X, 13.* vbi Q. Fab. Maximus consulatum sibi iam seni vltro oblatum hanc quoque ob causam recusasse dicitur: *se fortunam ipsam vereri, ne cui deorum nimia iam in se et constantior, quam velint res humanae, videatur.* Ad hanc opinionem alludit quoque SENECA, seu quisquis ille tragoediarum scriptor fuerit, quando in *Hercule Oct. act. III. vs. 8-9.* Deianiram ita queritantem inducit:

Semel profecto premere felices deus  
 Cum coepit, vrget; hos habent magna  
 exitus.

cf. etiam *μονολογιον* Iunonis, qua *id. autt. Hercul. fur.* exorditur, plena irae, odii, vindictae, maliuolentiae, inuidiae, furoris affectionibus, quas vulgo tribuunt poetae veteres deorum reginae.

6) Idem testatur LVCRET, *de rer. nat. V, 1217-24.* ita canens:

B

— — Cui



Hactenus in formulis loquendi ac descriptionibus, quibus prisca homines Numen ipsum et, quos ei tribuebant, siue sensus siue actiones insigniuerunt, vestigia timoris a Numine supremo, quo agitabantur, maxime perspicua deprehendimus. Haud obscuriora sunt, quae in *nomimibus et appellationibus, quibus cultus huius Numinis olim usurpabatur*, reperire licet. Ex iis enim recte concludi potest ad ingeniorum animorumque, e quibus sunt profecta, indolem, cui non possunt non ob intimam orationis et mentis coniunctionem saepe ex asse respondere. Ac primo quidem eius rei aliquam notam ipsum *religionis* vocabulum continet; vis enim eius, c. 1. c. *de inuent.* II, 22. §. 66. interprete, posita est in *metu ac caerimonia deorum*. Hinc saepe etiam cum *formidinis et horrois* vocibus permutari, DRAKENE ad *Sil. Ital.* I, 82 docuit.<sup>\*)</sup> Idem obseruare licet in vocabulis *δεισιδαιμονια* et *δεισιδαιμονια*; quae quamuis sensum in malam partem deflexerint, et superstitionis in colendo Numine significatum iuduerint:<sup>\*)</sup> tamen primitus de cultu diuino et religione simpliciter atque in bonam partem usurpatae esse videntur, cum huius notionis exempla apud scriptores haud raro occurrant.<sup>\*)</sup> Clariora istius timoris vestigia vsui loquendi in sacris libris obuio sunt impressa. In his enim verbum ירא (*timuit*), et quae inde ductae sunt dicendi formulae cum de cultu Numinis religioso et externo, tum etiam de animi erga illud sensibus usurpantur.<sup>\*)</sup> Hinc ירא אלהים, vel את אלהים vel מאלהים

(*timens*)

— — Cui non animus formidine diuum

Contrahitur? cui non contrepunt membra pauore,

Fulminis horribili cum plaga torrida tellus

Contremittit, et magnum percarrunt murmura coelum,

Non populi gentesque tremunt? regesque superbi

Conrapiunt diuum percussis membra timore,

Ne quid ob admillum foede, distumue superbe

Poenarum graue sit soluendi tempus adactum?

\*) Ita c. 1. c. in *Orat. pro M. Fonteio* c. 9. §. 20. cum *religione* iurisiurandi *metum deorum* statim connectit; et *IVST.* XXII, 6 §. 1. scribit: *Terrebat* eos portenti *religio*, quia nauigantibus sol defecerat; ad quem locum cf. GRAEY. in *adnot.* LVCRE-

TIO autem solemne quasi est, religionis vocem ita usurpare; cuius rei infra exempla quaedam occurrunt.

x) Hoc significato vsus est illis vocibus PLYTARCH. in l. supra iam l. *περὶ δεῖσιδ. ἢ de superstitione Numinis timore*; qui omnino dignus est, quem totum super hac re conferas. Depinxit enim auditor *δεισιδαιμονια*, tamquam verae pietatis, virtutis, sapientiae ac beatae vitae pestem, tam viuidis coloribus, vt exinde intelligi queat, quam late patuerit, et quanta vi regnauerit perniciosus ille timor in animis priscorum hominum.

y) v. c. *Ad.* XVII, 22. c. XXV, 19. et apud IOSEPHVM *Antiquit.* X, 3, 2. et in *decret. Asiatic. pro Iuda a Gronou. collect.* p. 6. quos locos KREBSIUS laudauit in *Obseruati. Flau. ad Ad.* XVII, 22. p. 232. quem vide.

z) e. gr. *Pf.* XXIV, 10. XL, 4. *Eccles.* XII, 13. *Ios.* XXIV, 14. 2 *Reg.* XVI,



(*timens dei, vel deum, vel a deo*) hominem indicat cultus diuini studiosum, et in genere pium, probum, sanctum, morigerum; <sup>a)</sup> atque יראת יהוה (*timor Iehouae*) vel פחד אלהים (*pauor dei*) vel רעדה (*tremor*) aliaue huius generis vocabula non solum de cultu diuino in vniuersum omni vsurpantur, sed etiam de piis erga eum sensibus et obedientia mandatis eius praeslita; isque timor tamquam summa et fons omnis sapientiae, virtutis ac felicitatis proponitur. <sup>b)</sup> Hic vero loquendi mos tam vulgaris et communi vsu receptus erat, vt in graeco quoque sermone ab interpretibus V. T. seruaretur (cf. II. II.); atque non modo in libris apocryphis occurrat frequentissime, <sup>c)</sup> sed etiam ad ipsos librorum N. T. auctores transferit, quamuis apud eos multo rarius reperiatur. <sup>d)</sup> Ex his aliisque religiosi cultus ac pietatis erga deum appellationibus, dicendique formulis ea de re maxime consuetis apparet, notioni supremi Numinis timoris cogitationem ac sensum arctissime in hominum animis fuisse copulatum. Cum vero iste loquendi vsus Christi quoque temporibus adhuc frequentaretur, recte sumere licet, rationem de deo cogitandi isti vsui consentaneam tum temporis quoque locum obtinuisse ac viguisse.

Verum enimvero non verbis solummodo, dicendique formulis, prisca homines suum a summo Numine timorem prodiderunt; sed factis quoque agendique ratione eum abunde et aperte declararunt. Nimirum in ipsis ritibus, institutis ac caerimoniis ad cultum sacrum pertinentibus clarissima istius timoris videre licet indicia. Primum enim inter omnes constat, nullam fere rem paullo grauiorem siue publicam siue priuatam apud veteres absque diis consultis esse susceptam. Aut enim extis inspiciendis, aut auium volatu, cantu, esu obseruando, aut innumeris aliis diuinationis generibus animum deorum, faueantne et propitii sint, an irati et maleuoli, explorare studebant. Quodsi igitur haruspex aut alius quis vates deos iam non esse propitios, nec votis ipsorum annuere canebat, aut confestim ab incepto opere desistendum erat, aut deorum ira prius omnibus modis

B 2

placari.

35—39. Vltimus horum locorum inprimis huc pertinet; ibi enim ירא copulatur et commutatur cum עבד, pr. *seruiuit deo*, tamquam domino, deinde *coluit* in vniuersum; cum השתחוה, pr. *incuruauit sese* honoris exhibendi causa, deinde simpliciter *adorauit, veneratus est*; cum זכר, *sacra fecit*, et שמר-אח-החקים *legibus obtemperauit*.

a) v. c. *Iob. I. 1. Pf. XXXIV, 10. LXVI, 16. 2 Reg. XVII, 41.*

b) e. gr. *Pf. II, 11. V, 8. XXXIV, 2. CXI, 10. Prouerb. VIII, 13. c. X, 27. c. XIV, 26. 27. c. XIX, 23.*

c) v. c. *Tob. IV, 21. c. XIV, 2. Sirac. I, 11—14.* et pluribus aliis huius reliquorumque capp. versiculis, vt c. XV, 1. XXV, 11. c. XL, 26. 27. etc.

d) vid. 1. *Petr. II, 17. Apocal. XIV, 7; 2 Cor. V, 11.* et c. VII, 1. Ita et cultores Iouae ex gentibus non circumcisi, qui dicebantur Προσευχόμενοι του θεου



placanda. Hinc terrae motibus, lunae aut solis defectibus, somniorum portentis, aut aliis quibusvis prodigiis et monstris tantopere exterrebantur, vt de felici rerum suarum successu penitus desperarent, nec diis aduersis quicquam aggredi auderent.<sup>2)</sup> Negari quidem non potest, saepenumero istiusmodi rebus consulto et callide usam esse prudentiam eorum, qui vel belli duces, vel domesticis rebus gerendis praefecti erant, ad multitudinem flecendam compellendamque, vt vel inuiti sapientissima imperatorum principumque consilia exsequerentur.<sup>3)</sup> Sed non minus certum est, saepissime etiam superstitione illa omnem animorum vim fractam, et solidi cuiusdam vatis, deos iratos inceptis aduersari, profitentis voce prudentiam peritissimorum grauissimorumque virorum irritam factam esse, impeditamque, quo minus felici gauderent consilia eorum euentu.<sup>3)</sup> Cum vero vniuersa haec superstitio tam vulgata, et communi ac publica auctoritate sancita maximam partem Numinis timore niteretur, hunc quoque timorem in multitudinis animis isti superstitioni deditis perpetuo alere atque augere debebat. Quod eo magis perspicuum fiet, si ad rationem attenderimus, qua Numen iratum placare ac reconciliare sibi eius fauorem studebant veteres. Cum enim quoduis infortunium et calamitatem a diis vel iniuria quadam laceflitis et ad iram prouo-

*Ἰεῶν* appellantur *Αἰτ.* X, 22. et c. XIII, 16. 26. ad quem loc. cf. *KREBS*, in *lib. laud.* p. 220.

e) vid. *Cel. MEINERS* in *hist. doct. de vero deo*. P. I. p. 211—17. qui eandem rem vberius exposuit, plurimisque testimoniis ex historia Graeca petitis abunde probauit. Sunt inter ea multa quoque exempla viro- rum grauissimorum ac prudentissimorum, qui interdum ipsi tali superstitioni indulse- runt, animo nondam penitus abstracto a vulgi opinionibus. E Romana historia vnus *LIVIVS*, admodum diligens in eiusmodi re- bus notandis, sexcenta exempla suppeditare possit; e quibus duo tantum maxime me- morabilia afferre lubet. *Hist.* XXIV, 10. ait: *Predigia eo anno multa nuntiata sunt; quae quo magis credebant simplices ac religio- si homines, eo plura nunciabantur* — multis deim enarratis addit: — *Haec prodigia hostiis maioribus procurata sunt ex aruspicum responso: et supplicatio omnibus deis indicta est* — iam pergit cap. 11. — *Perpetratis, quae ad pacem deum pertine- bant, de rep. belloque gerendo consules ad*

*senatum retulerunt. Id.* XXVII, 23. *Con- sules*, inquit, *religio tenebat, quod prodigi- us aliquot nunciatis non facile litabant* — iam enarrans ea, ait: — *minimis etiam rebus praua religio inserit deos* — deinde addit: — *Horum prodigiorum causa diem vnum supplicatio fuit, perque dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuinae non impetratae pax deorum. In capita consulum exitiabilis prodigiorum euentus vertit.*

f) Sic *PLVTARCH* in *Themist.* refert, callidissimum hunc virum, postquam frustra τοῖς ἀθηναίοις λογισμοῖς Atheniensibus persuadere tentasset, vt vrbe relicta classe se defenderent contra Persarum impetum, ad diuinas artes confugisse; ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ μηχανὴν ἀπὸς σημείων δαιμονία καὶ χρηματικὴ ἐπήγεν αὐτοῖς. *Opp.* T. I. p. 116. lit. D.

g) Ita *CS. Fab. Maximus*, narrante *LIV.* XXIII, 36., *flumen traducere exercitum non audebat; occupatus primo aruspiciiis re- petendis; dein prodigiis, quae alia super- alia nuntiabantur, expiantique ea haud fa- cile litari aruspices respondebant.*



prouocatis, vel inuidia et malenolentia aëlis exacerbatisque repeterent: eos non precibus solum humillimis effundendis muneribusque amplissimis offerendis fletere satagebant, sed expiatorias quoque lustrationes, initiationes, et sacrificia adhibebant, vt se contra deorum inimicitias munirent, eorumque irae aëstum voluntariis cruciatibus aut animalium sanguine reslingerent. (vid. MEINERS *Gesch. aller Relig. Cap. X—XII.*) Quodsi vero publica quaedam et grauior calamitas ingruerat, diutiusque grassabatur, quam vt absque summo publicæ salutis detrimento aut iactura longius ferri potuisset, tum brutorum sanguinem ne sufficere quidem ad superos inferosue placandos, sed humano opus esse putabant. Ita Calchas, vt ab antiquioribus temporibus incipiamus, cum Græcorum exercitus ob caesam ab Agamemnone ceruam, Dianæ sacram, ventorum iniuria nimis diu Aulide detineretur, taetro facinore, (vt appellat CIC. *de off.* III. 25. § 95. factum illud, quamuis aliam eius rationem afferat) leue quoddam delictum expiandum suasisit, pronuntians

Sanguine virgineo placandam virginis iram

Esse deae.<sup>h)</sup>

Pari ratione apud Tyrios, vt narrat CVR T. IV, 3 §. 23., dura per Alexandrum obfidione pressos inter alia calamitatis publicæ remedia etiam auctores quidam erant, vt ingenuus puer Saturno immolaretur; cuius iram sine dubio eam ob causam in ciuitatem exarsisse rebantur, quod hoc sacrum, olim consuetum, multis seculis intermissum esset. Certe Carthaginenses, quos hoc sacrum a conditoribus traditum usque ad excidium vrbs suæ fecisse idem testatur auctor, hanc tenuerunt rationem, cum in simili discrimine versarentur. Non solum enim, cum inter caetera mala etiam peste laborarent, homines vt victimas immolabant, et impuberes aris admovebant, *pacem deorum sanguine eorum exposcentes*, teste IVST. XVIII, 6. §. 11. 12.; sed etiam ab Agathocle, Siciliae tyranno, vexati et obsessi gratiam Saturni, ob neglectum cultum suum exasperati, quingentorum puero- rum, eorumque magnam partem nobilissimorum, sanguine reconciliandam esse duxerunt; quod exemplum refert Cel. MEINERS in hist. doctr. de V. D. T. I. p. 72. sq. *Idem ib.* p. 209. sq. demonstrat, ipsos Græcos barbaris illis ac literarum rudibus populis iamiam ingenii cultura antecellentes eadem crudeli ac foeda superstitione sese contaminasse.<sup>i)</sup> Nec Romana historia vacat crucentis eiusmodi sacro-

B 3

h) OVID. *Metamorph.* XII, 28. 29. vid. de eadem re elegantissimum LVCRETII locum, l. I, 85—102. vbi in fine poeta exclamat:

*Tantum religio (i. e. metus deorum)  
potuit suadere maiorum!*

i) Duo tantum ex allatis illic exemplis enarrabo maxime memorabilia. Nimirum cum Themistocles ante pugnam naualem prope Salamina sacra faceret, Euphrantidis vatis iussu cogebatur, trium pulerorum nobiliumque iuuenum *ναρπαγεῖσθαι καὶ ναυδία ποιεῖν*



factorum exemplis. Cum enim post funestissimam prope Cannas pugnam et publicis et domesticis cladibus affecti essent Romani, aliisque insuper prodigiis terrentur, non solum Delphos miserunt seiscitatum, quibus precibus supplicisque deos posse placare, sed etiam, antequam oraculi responsum ad eos perlatum erat, ex suis ipsorum fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria fecerunt. Inter quae Gallum et Gallam, Graecum et Graecam viuos sub terra in locum iani ante hostiis humanis imbutum demiserunt.<sup>k)</sup> Porro de Gallis testatur CIC. in orat. pro M. Fonteio. c. 10. §. 21. eos usque ad sua ipsius tempora, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrati sint, hostiis humanis eorum aras ac templa funestasse, et existimasse, deos immortales hominum sanguine facillime posse placari.<sup>l)</sup> Quamvis autem immanis illa et barbara consuetudo hominum immolatorum, quae apud plurimos antiquioris aevi populos inualerat,<sup>m)</sup> Christi temporibus apud quosdam eorum cultiores ac politiores dudum obsoleuerat: peruersa tamen de deo cogitandi ratio, qua ista consuetudo nitebatur, perdurabat adhuc, atque tam altas in hominum animis radices egerat, ut ipsi theologiae Christianae vestigia quaedam haud obscura inprimeret. Fuerunt enim, qui mortis, quam Iesus pro salute generis humani ex decreto Patris subiit, causam exinde repeterent, quod deus ob delicta hominum iratus iisque inimicus non nisi sanguine Christi effuso leniri et placari potuerit; cum tamen Iesus ipse eiusque discipuli longe aliam planeque contrariam mortis huius saluberrimae rationem asserant, nempe impensum dei amorem erga miserum genus humanum.

ῥωσιν παντας ὠμηνει Διονυσῶν προσευξόμενον ἔγω γὰρ ἄμα σωτηρίαν τε καὶ νικηρῶς εὐδαί τοις Ἑλλήσιν, ut refert Phanius apud PLYTARCH. l. i. p. 118. sq. Huic narrationi adde morem Atheniensium et Massiliensium, singulos quotannis homines horrendis execrationibus deuouendi, ut numinum iras in eorum capita prouocarent, atque a caeteris ciuibus auerterent.

k) vid. LIV. XXII, 57. Habet cum ea re similitudinem quandam Deciorum celebratum factum, qui, tanquam luendis peccatis publicis piacula essent, ad auferendas coelestium, inferorum iras secum hostium legiones mastandas Telluri ac Diis Manibus dabant, teste eod. VI. l. 9. coll. l. X, 28. Cotta quidem apud CIC. de nat. dd. III, 6. §. 15. contendit, fasile hoc σπαρτηγῆμα quoddam eorum imperatorum, qui patriae consulerent, vitae non parcerent.

Verum si vel in Decis eiusmodi consilium fuerit, tamen multitudo longe secus iudicauit. Nec video, quale σπαρτηγῆμα fuerit M. Curtij in patentem terrae hiatum sese proicientis, qui etiam pro salute populi Romani se deuouisse credebatur. vid. LIV. VII, 6.

l) Haec non oratorum more a Cicerone in rem suam nimis exaggerata esse, testis est IUL. CAES., qui l. VI. de bello Gall. c. 16. refert, publice priuatimque apud hanc gentem eius generis sacrificia instituta fuisse, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrabantur.

m) vid. MEINERS *Gesch. aller Reli.* cap. 10. §. 8. not. b. et §. 9. rot. inpr. vero not. e. Etiam Anglus quidam, BRYANT, accurate hanc rem exposuit; sed libri ab eo conscripti copia nobis non facta est,



num.<sup>4)</sup> Recte igitur colligimus, Christi aetate longe maximam generis nostri partem ita erga summum Numen affectam fuisse, vt illud metuere magis, et tamquam dominum seuerum reuererentur, quam parentis instar amarent ac cole- rent. Ista enim de deo cogitandi ratio ab antiquissimis inde temporibus<sup>5)</sup> ad posteriora saecula tradita ita quasi inueterata fuit et infixata in animis hominum, vt aegre possent euelli rursus ac penitus eradicari. Hinc non sine omni veri similitudine coniecerunt quidam ac contenderunt, uniuersam dei cognitionem atque cultum a timore ob horribiles quosdam naturae euentus, fulgura, tonitrua, maris aestum, terrae motus, reliqua, originem traxisse.<sup>6)</sup> Verum si vel ista ratio minus probatur, facile potest alio modo illius timoris origo indagari. Cum enim ea sit imbecillitas humani animi, vt ab initio sensibus indulgeat et phantasiae, sero autem nec sine magna difficultate variisque erroribus meditando ac ratiocinando ea assequi discat, quae sunt a sensibus et rebus in eos incurrentibus remota: non possunt non homines, quando de naturis ac potestatibus humana clarioribus, imo suprema aliqua cogitare incipiunt, humano more de iis cogitare. Iam cum omnes fere antiquitatis populi sibi haberent persuasum, deos suos humana forma et artibus nostro corpori haud absimilibus gaudere, debebant etiam animum eorum *ανθρωποπαθως* effingere. Quidni igitur illos iracundos, aemulos, inimicos, maleuolos, irritabiles, atque hinc tremendos putarent, cum eosdem in libidinem quoque et voluptatem omnis generis propensos esse crederent?<sup>7)</sup>

Haec conditionem generis humani Christi aetate ex ea parte considerati- mus, qua deum eiusque cultum spectat, vidimusque, totam fere religionem timore Numinis summi nixam fuisse. Accedimus iam ad alterum, quod ex instituti nostri

<sup>4)</sup> vid. *Ioh.* III, 16. *Ioh.* IV, 9. 10. *ad Rom.* V, 6-8. et *ad Thessal.* ep. 2. c. II, 16. Cf. etiam S. V. MORVS in *Epitome* P. IV, c. 1. p. 122 ff. *ed. alt.*

<sup>5)</sup> Reperiuntur iam in narratione Mosai- ca de lapsu primorum hominum (*Gen.* III, 8. ff.) et caede Abelis per Cainum (c. IV, 11. 12.) eius rei indicia quaedam.

<sup>6)</sup> *Quid mirum*, philosophatur poeta ille Epicureus, (l. e. lib. V. supra l.)

Quid mirum, si se temunt mortalia  
saecula,

Atque potestates magnas, mirasque re-  
linquunt

In rebus vires diuum, quae cuncta gu-  
bernant.

Etiam Cleanthes, nobilis Stoicae disciplinae philosophus, deorum notiones ex parte saltem inde informatas esse statuit, teste *Cic.* *de nat. ad. II*, 5. init. Notus est *Humius*, recentior huius sententiae patronus.

<sup>7)</sup> *ερωτων ουκ εις Αφροδιτην νεχουμεσιν* Ionem dicit *LUCIAN.* l. l. p. 255. Et *Vel- leius* apud *CIC.* *de nat. ad. I*, 16. init. ait: poetae et ira inflammatos et libidine furen- tes induxerant deos: feceruntque, vt eorum bella, pugnas, proelia videremus; odia praeterea, dissidia, discordias, querelas, lamentationes, effulas in omni intemperantia libidines etc. Fuisse autem multitudinem vel inter Graecos lireris excultos foedae suspitioni deditissimam, anilibusque de diis suis fabulis omnem habuisse fidem, ex-  
emplis



nostri ratione ad hanc conditionem explicandam pertinet, atque in modo versatur, quo erga alios sui generis affecti erant homines illorum temporum. Ad quam rem investigandam via nobis iam praemunitione videtur. Cum enim homines deos suos ita effligerent, ut ferebat ipsorum ingenium, iisque inter alia, etiam partium studium, maliuolentiam, inuidiam, iracundiam, crudelitatem et inimicitiam quandam erga genus humanum tribuerent, videtur inde concludi posse, homines ipsos, eiusmodi deorum cultores, iisdem fere affectionibus obnoxios et in eadem vitia pronos fuisse. Ne vero quis forsitan nos iniquioribus illis antiquitatis censoribus annumeret, qui quam maxime delectantur inquirendis, enarrandis et amplificandis veterum erroribus ac vitiis, ut nempe recentiorum laudes eo magis exsplendescant, hoc praesertim loco praemonendum videtur, nos non omnes ac singulos eodem habere loco, omnibusque eandem prauitatem tribuere. Fuisse enim omni tempore, qui a vulgari sentiendi agendique ratione siue naturae bonitate excitati siue aliarum rerum opportunitate adiuti, discederent, quis non concesserit? Sed dum hic nobis res est cum vniuerso humano genere eiusque indole, singulorum quidem virtutem ac praestantiam libenter agnoscimus et vehementer admiramur, verum in hac disquisitione iure praetermittimus. Hac cautione adhibita, fidenter contendimus, hominum Christi aetate viuentium indolem positam fuisse in animi quadam ferocia, illiberalique *ψυχραια*.

Ad hanc sententiam probandam primum prouocamus ad id, quod a priscis hominibus naturae humanae excellentia et dignitas, iuraque inde oriunda et officia magnam partem neglecta et paene ignorata fuerunt. Apparet hoc iam e more veterum, antea commemorato, hominibus interdum pro victimis utendi, eosque inprimis in sacris funebribus ad mortuorum manes honorandos et placandos mandandi;\*) quod quam indignum sit praestanti hominis natura, nemo non agnoscit. Sed longe magis illud sit perspicuum e dura et immani ratione, qua in gendis bellis utebantur veteres. Saepenumero enim tanta cum atrocitate tamque capitali odio inter eos decertabatur, ut non homines cum hominibus litigasse, sed belluas cum belluis confictatas esse putes. Conspicere enim non raro licet regiones vastatas, moenia diruta, vrbes incensas, fana expilata, opes direptas, mulieres stupratas et cum reliquis incolis, nisi forte vniuersa gens aut mares certe ad interuentionem usque delerentur, in duram seruitutem abactas. Cui non in mentem veniunt bella inter Israelitas et Cananaeae finitimarumque regionum incolas gesta? quae quamuis ob salutaria, quae deo cum stirpe Abrahami intercedebant, consilia et quasi pacta necessaria fuisse, et eatenus quodammodo excusari, tamen quo-

emplis quibusdam docuit BARTHELEMY in itinere Anacharsis iun. per Graec. T. V. p. 192—5. *vers. theot.*

\*) Ita Achilles *δάδεναι Τρωῶν μεγάθυ- μων υἱῶν ἑθλῆς* ferro trucidatos vna cum Patroclo in huius honorem igne cremandos rogo



ad omnia, quae in ipsis atrociter, crudeliter, et immaniter ab Israelitis ipsis eorumque ducibus facta sunt, vix defendi posse videntur. Porro Chaldaeorum Assyriorumque in Palaestinam expeditiones, cum regionis deuastatione, viribus ac templi destructione et expilatione, incolarumque debellatorum, quam vulgo dicunt, captiuitate coniunctas, quis ignorat? Quis Graecorum contra Troiam commune bellum? in cuius fatali exitu, qui multis ciuitatibus ruinam, nobilissimis vero ciuibus vel mortem vel exilium et seruitutem afferebat, describendo seriores poetae largissimam ingenii exercendi materiam repperisse sibi visi sunt. Nec multo humaniores maioribus suis sese ostenderunt Athenienses, qui Aeginetis deuictis pollices praecidebant, ne amplius naues dirigere, et classe valere possent, quod CIC. *de off.* III, 11. init. recte reprehendit, quod *hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas*. Attamen non est, quod *idem*, alio loco<sup>1)</sup> suos tantopere celebret ob iustitiam et aequitatem in bellis gerendis seruatum; nam romana quoque historia multa durioris, qua olim conflictabatur, rationis suppeditat exempla. Quamuis enim Cicero priscos Romanos in decertationibus suis cum finitimis populis propterea laudet, quod multos eorum in ciuitatem acceperint, tamen haud scio, an iustum, aequum, hominumque natura dignum sit, ita alique in ciuitatem accipere, vti apud L I V. I, 29 factum esse legimus. Punica vero bella, inprimisque tertium, non pauciora Romanorum iniquitatis et ferociae, quam Poenorum perfidiae et crudelitatis (si modo fides Romanis hac in re habenda est) specimina exhibent. Numantiae autem et Corinthi euersionem ac disturbancem quis potest defendere? quarum urbium altera Romanorum imperio et gloriae ne poterat quidem vnquam obesse, altera vero per loci opportunitatem, quae aliquando ad bellum faciendum potuisset adhortari, iustam disturbancem et exspoliandae florentissimae ciuitatis causam non praebuit. Hinc ipse CIC. II. II. facta haec improbat, atque vtilitatis specie peccatum esse fatetur. Praeter hanc in bellis gerendis inhumanitatem confirmatur sententia nostra multis aliis veterum

rogo imposuit, narrante HOM. II.  $\psi$ . 175 ff. cf. CAES. *de bel. Gall.* VI, 19. vlt.

1) vid. *Ios.* VI, 21—26. c. VIII, 24—29. c. IX, 20—27. c. X, 19—40. c. XI, 10—14. 2 *Sam.* VIII, 1—14. c. XII, 30. 31.

2) I. I. *de off.* c. 11—13. vbi praecleara quidem circa bella gerenda praeccepta reperies; sed (vri bene obseruauit Cei. GARVE ad h. l. in adnot. et commentt. vers. horum libb. theot. adiectis, P. I. p. 115—20.) in his ipsis quaedam insunt, quae neque

cum Ciceronis ipsius praecceptis, neque cum humanitate satis conueniunt. Deinde vero ex praecceptis libelli alicuius philosophici non potest hac de re discipari, sed ex rebus in facto positis, quas historia tradit. Haec vero docet, Romanos post partam adeo victoriam sese paullo inhumaniores gessisse. Nam, vt hoc vnum asseram, consuetudo debellatos principes in triumpho solemnitate publicae contumeliae obiciendi, prodit sane insolentiam et feritatem, quae aliorum dignitati et iuribus parum reuerentiae habet.



rum consuetudinibus et institutis, quae animi quandam ferociam produunt. In primis feruitus huc pertinet, quae quamuis hominis natura profus sit indigna, tamen per antiquum orbem vbiq̄e fere gentium magnam hominum partem premebat. Nec horum tantum conditio erat saepenumero durior, quam fert humanae naturae ratio; sed feminarum quoque, liberorum et hominum plebeciorum, quippe qui apud multos priscos populos paene mancipiorum instar habebantur, ita vt nobiles, domini, mariti ac parentes eos impune vexare possent, atque adeo vitae ac necis potestatem in eos haberent.<sup>u)</sup> Porro spadonum vsus in magna orbis antiqui parte frequentissimus, poenarum suppliciorumque immanitas et atrocitas,<sup>x)</sup> ludorum spectaculorumque quorundam, inprimis gladiatoriorum, quibus Romani tantopere delectabantur, feritas et truculentia,<sup>y)</sup> aliique mores et instituta veterum, manifesto arguunt, eos iura et officia, quae competunt ac debentur humanae naturae, aut penitus ignorasse, aut saltem neglexisse.

Sed ferox illa et illiberalis animi humani indoles etiam exinde patet, quod *veteres populi vehementer a se disiuncti erant, et sempiterna fere agitantur discordia.*

u) vid. CAES. de bel. Gall. VI, 13 et 19. TACIT. de morr. Germ. c. 25. Neque vero apud istas ferociiores solummodo gentes haec inhumanitatis genera obtinuisse, sed apud cultiores quoque Graecos vxores paulo durius habitas esse, patribusque licuisse, recens natos infantulos, quos in terra depositos suscipere ac sustentare nollent, abicere, vel ex NEPOTIS Praefat. ad vitas suas et ex veterum comoediis patet, quae plerumque agnitione puellae olim expositae finiuntur. Nota est praeterea gratis Helotarum seruitus, vid. PLYTARCH. in Lycurgo. Opp. T. I, p. 56 sq. inde a lit. E; et quamuis, teste XENOPH. de rep. Athen. I, 10—12, benignior esset seruorum apud Athenienses conditio, tamen huius rei rationem non ab humanitate, sed ab vtilitate repetit Xenophon, cf. MEYERS Gesch. des wozbl. Geschlechts. P. I. inprimis Sect. 7. p. 313 ff. et REITMEIER in lib.: Gesch. und Zustand der Sklaverey und Leibeigenschaft in Griechenland. Berol. 1789.

x) vid. CAES. ib. c. 16 et TACIT. c. 12. quamuis dubia sit eius fides referentis, ignavos et imbelles et corpore (vel, vt LIPSIVS legi vult, torpore) infames coeno ac palude,

iniecta in super crate, mersos fuisse. Simile tamen institutum fuit apud Laedaemonios, penes quos arbitrium tollendi partus quidem non erat; attamen των Φυλετων οι πρεσβυτατοι, κατακαθοντες το παιδαριον, et ευπαγας ειη και βρωμαλεον — το αγεννες και αμαρπον απεπειτου εις — τον βαρκαδριδη τοπον, ως 8 — τη πολει αμεινον ζην το μη κωλος ευθυσ εξ αρχης προς ευεζιων και βρωμην πεφυκος. vid. PLYTARCH. ib. p. 49. lit. D. sq. E contrario homicidia apud Germanos certo tantum armentorum ac pecorum numero luebantur. TAC. c. 21.

y) LACTANT. institut. diu. VI, 20. Adeo longe ab hominibus recessit humanitas, vt, cum animas hominum interficerent, ludere se opinentur — quaero, an possint iusti homines esse, qui constitutos sub icu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed et flagitant, feruntque ad mortem crudelia et inhumana suffragia — irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est, et tamquam humanum sanguinem sistant, odeunt mores — Hac consuetudine imbuti, humanitatem perdidierunt. cf. SENECA ep. 7, et LIV. XLI, 20.



*cordia.* Quam quidem rem quamuis POLYBII testimonio admodum graui satis confirmare possemus, cum ille in prooemio historiae suae idem obseruet:\*) tamen ne in tali re auctoritati magni alicuius viri nimium tribuere ponderis videamur, paucis eam porro illustremus. Ac primo quidem hanc in rem commemorari posset hoc, quod magna pars veterum populorum tam rudis erat et omnia elegantioris culturae expers, tantoque animi quasi torpore, vt quisque suis tantummodo rebus studeret, atque contentus, si sibi met ipsi ea praesto essent, quae victui cultuique in quemuis diem necessario sufficerent, reliquos plane non curaret, nisi forte hanc ob causam, vt alterum sede sua pelleret, rebusque eius ipse potiretur. (cf. THUCYD. I, 2.) Sed cum omnibus omnium temporum hominibus, qui non nisi venando, piscando, pascendo, forte et agro colendo vitam tolerant, hoc commune et quasi proprium sit, imo esse debeat, vt ab aliorum hominum ac populorum societate et communitate separati viuunt, nolimus id quidem urgere. Consideremus potius eas gentes, quae legibus, literis, opibus, rerumque magne et fortiter gestarum fama olim inclaruerunt, ceterisque cultiores, politiores ac potentiores fuerunt, ac videamus, vtrum inter has archiur quaedam et amica coniunctio obtinuerit. Iam vero Iudaei ob singularem, qua utebantur, disciplinam ciuilem aequae ac sacrae valde memorabiles eo ipso, quod moribus, institutis, legibus ipsoque religionis cultu a reliquis populis omnibus differebant, tantopere ab his seiuncti erant, vt commercium cum exteris tamquam profanis et ἀμαρτωλοῖς auerfarentur. Atque eadem fere ratione Aegyptii, ad quorum normam Iudaica disciplina magnam partem conformata erat, peregrinorum, quos vehementer contemnebant, consuetudinem refugiebant; eorumque sacerdotes in primis sibi cauebant, ne arcanas suas disciplinas reconditasque sapientiae copias, (si modo quas habebant) alienigenis patefacerent. Phoenices quidem, eorumque coloni, Carthaginenses non poterant non mercium emendarum vendendarumque causa per nauigationem cum multis aliis populis coniunctionem quandam inire; verum haec coniunctio uicem mercaturam, et inde comparandas diuitias potentiamque spectabat, nec ad animos copulandos humanitatisque officis sibi inuicem deuinciendos instituta erat. Quantopere autem Graeci atque Romani exteros populos contemtu habuerint, vel ex eo patet, quod eos omnes barbaros vocabant, nec quicquam apud ipsos maiorem habebat vim, pretium atque honorem, quam ciuitatis ius. Atque inter hos erant adeo legumlatores tam inimici erga peregrinos,

C 2

\*) vid. I. I. c. 1—5. Auctor ibi totus in eo est, vt demonstrat, antequam Romanum imperium in tam immensam excreuerit molem, numquam homines regionibus, legibus, institutis, consiliis, caeterisque rebus

tam diuersos vno aliquo regimine archiur coniunctos fuisse, adeoque neminem antea vniuersalem quandam historiam conscribere studuisse ac potuisse, sed omnes solius patriae res gestas exposuisse; nam *εὐ τοῖς*  
πρῶ



grinos, ut eos vrbis vsu prohibendos exterminandosque suaderent, quod recte *etc. de off.* II, 1. §. 47. *inhumanum* vocat <sup>a)</sup> Haec autem antiquorum populorum dis-  
iunctio saepe numero graues inimicitias ac frequentissima bella pariebat. Nam qui  
inter eos paullo cordatiores erant ac fortiores, alios aut continuo vexabant aut im-  
perio suo subicere studebant. Sic de Parthis *vs r.* XLI, 3. §. 7. 8. aserit, fuisse  
ingenia genti tumida, feditiosa, fraudulenta, procacia: quippe *violentiam viris,*  
*mansuetudinem mulieribus* assignabant: semper aut in *externos* aut in domesticos  
motus inquieti. Atque apud veteres Germanos ciuitatis maxima laus erat, quam  
latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere; hoc *proprium virtutis* exi-  
stimabant, *expulsos agris finitimos cedere*, teste *CAES de bel. Gall.* VI, 23. <sup>b)</sup>  
Idem de Gallis refert, (c. 15.) ante suum aduentum fere quotannis apud eos  
aliquod bellum accidere solitum esse, *uti aut ipsi iniurias inferrent*, aut illatas  
propulsarent. Neque vero minus iste mos finitimas regiones incursionibus ve-  
xandi in Graecia obtinuit; idque non antiquiori solummodo aetate, qua eleganti-  
ori cultura bonarumque ciuitatum institutis adhuc destituebantur incolae; sed  
ferioribus adeo et politioribus temporibus. <sup>c)</sup> Varia autem et multiplex ciuita-  
tum, in quas Graecia diuisa erat, forma, earumque perpetua aemulatio, sempiternorum  
dissidiorum semina sparfit; nec umquam arctius coniungebantur, nisi  
communis utilitatis causa ad suam libertatem contra potentem aliquem hostem  
vindicanam. Quae quidem dissidia Macedonum irruens vis sedauit atque com-  
pescuit, sed ita, ut stricto ense simul per magnam orbis terrarum partem grassare-  
tur, omniaque elegantioribus quidem Graecorum moribus ac literis, sed una  
etiam

προ τετων χρονος, inquit cap. 3., ἀσάνει  
σποραδας ειναι συνεβαινε τας της οικουμενης  
πραξεις.

a) Idem lege sancitum erat apud Sparta-  
nos, quos Lycurgus tantopere ab extero-  
rum consortio abhorreere voluit, ut nec ipsis  
αποδημιεν, nec peregrinis αδροειδαυ  
επ' αδειν χρησιμω και παρεστρευν εις την  
πολιω liceeret. Qua in re quamuis consili-  
um satis probabile sequeeretur Lycurgus,  
tamen lex ipsa dura erat, eandemque sua-  
debat ferociam, quam omnia fere Lycurgi  
instituta prae se ferebant, vid. ΠΛΥΤΑΡΧΩ.  
l. l. p. 56. III. C et D. Longe mitior erat  
apud Athenienses των μετοικων conditio,  
quippe quibus ισχυροια προς της ασπης con-  
cessa erat, sed statim addit causam xenοφι.  
l. l. hanc: διοτι δεταω η πολις μετοικων, δια

τε το πληθος των τεχνων, και δια το  
ναυτικον.

b) Paulo post idem affirmat. *latrocinia*  
apud eos nullam habuisse infamiam, quae  
*extra fines cuiusque ciuitatis fierent*. Con-  
ueniunt autem cum hac Germanorum feroci  
indole a Caesare descripta, quae *TAC.* de  
moribus eorum c. 14. refert: Si ciuitas, in  
qua orti sunt, longa pace et otio torpeat,  
plerique nobilium adolescentium petunt ul-  
tro eas nationes, quae tum bellum aliquod  
gerunt; et paullo post: nec arare terram  
aut expectare annum tam facile persuaseris,  
quam vocare hostes et vulnera mereri, *pi-  
grum quinimo et iners videtur, sudore ac-  
quirere, quod possis sanguine parare.*

c) Testatur utrumque *Thucyd.* I, 5. his ver-  
bis: Οι ελληνας το πολω εργαζοντο προς  
λησειω



etiam effuso sanguine replet. Pari ratione ante Alexandrum Assyrii quoque, Aegyptii ac Persae variis temporibus terrarum orbem vastando peragrarunt, multosque populos imperio suo aliquamdiu connexos tenuerunt; ac tandem Romani, qui a regni sui primordiis praedonum more vicinos populos omnes vexauerant, eorumque regiones inuaserant, sensum sensumque inflatiabili belligerandi libidine eo peruenerunt, ut vniuersum, uti iactabant, terrarum orbem imperio suo subicerent, plurimasque gentes sibi inuicem arctius, ut antehac, copularent. Verum haec coniunctio non ab animorum concordia et humanitate sed ab armorum vi ac ferocia ipsa profecta erat. Inde patet, id, quod c. c. de off. II. 13. §. 45. de suis affirmat, *semper fere bella gesta esse*, iure meritoque de omnibus antiquis gentibus affirmari posse, adeoque veram et diuturnam earum coniunctionem et concordiam praescis temporibus locum non habuisse.

Neque vero minus inle intelligitur, illa aetate *humanitatem atque erga alios beniuolentiam angustissimis finibus circumscriptam fuisse*. Apud plurimos enim haec virtutes erga eos tantum sese exerebant, a quibus alia commoda et emolumenta expectari poterant. Quod enim in genere monet c. c. de off. II. 20. §. 69. quodque semper et vbiq; in magna parte hominum locum habuit, et etiamnum habet, a quo *expeditio et celerior remuneratio fore videatur, in eum fere esse voluntatem propensorem*: id inprimis iis valere debebat temporibus, quibus nec iura aliorum, quae ipsa secum fert naturae humanae ratio, satis agnoscebantur, nec officia iis debita, quos eiusdem naturae communio inuicem copulauit, rite praestabantur. Quodsi enim (ut i v s r. l. supral. sub fin. cap. de Parthis perhibet), *ne fides quidem dictis promissisque ulla, nisi quatenus expedit*, quomodo putes gratiam, humanitatem, beneficentiam, liberalitatem, caritatem erga omnes exercitam fuisse lucri spe adempta? Certe c. c. de off. I. 15. fin. praecipiens, in gratia et beneficiis exhibendis ei potissimum opitulandum esse, qui maxime opis indigeat, addit: *quod contra fit a plerisque; a quo enim plurimum sperant, ei potissimum inseruiunt.*<sup>d)</sup> Impellit tamen vel ipsa natura, vel alia qua ratio multorum animos hominum ad meliorem honestioremque sentiendi agendique cum aliis

C 3

ratio-

λησει — εν εχοντος πο εις χυνην ταχιστα  
εργα, Φεροντος δε τι και δοξης μλλον.  
Porro: δηλοσι τετο ηπειρωτων τινες επι και  
νυν, ος κοσμος καλος τετο δρον, et paulo  
post: και μεχρι ταδε πολλα της ελλαδος τω  
πρωτω τροπω νεμεται.

d) Conqueritur de hac illiberali aetatis  
suae indole ovid. in epp. ex Ponto l. II.  
ep. 3. 7—20 e quibus praeclearis versiculis  
hos tantum descripsisse sufficit:

Vulgus amicitias utilitate probat.  
Cura, quid expedit, prius est, quam quid  
sit honestum:  
Et cum fortuna statque caditque fides,  
Nil, nisi quod prodest, carum est; i, de-  
trahe menti  
Spem fructus avidae, nemo petendus  
erit.



rationem. Quos enim aut amicitiae, verae illius et candidae, vincula, aut hospitalitatis iura olim certe consueta, aut sanguinis generisque communio copulavit arctius, si fere ad humanitatis officia sibi inuicem praestanda et ad mutuam beniuolentiam promtiores sunt ac paratiores iis, quos nulla intercedit eiusmodi necessitudo. Has igitur coniunctiones sancte obseruasse et pie coluisse veteres, quis quaeso negauerit? Sancta ipsis inprimis erant hospitalitatis iura, quae et decoris honestatisque et utilitatis causa magni facienda esse praecipit C. I. C. *de off. II. 18. vlt.* Nec minus gaudet antiquitas magnis et celebribus exemplis amicitiarum coniunctissimarum, grauissimarum, honestissimarum. (vid. *eund. ib. III. 10. vlt. et VIRG. Aen. IX. 176—445.*) Cognatio vero affinitasque omni tempore homines hominibus conciliauit mutuoque obstrinxit amore. Sed quo arctius haec vincula siue arbitraria siue naturalia homines praescos conuexus tenuerunt, eo laxiori fere et remissiori animo in humanitatis ac beniuolentiae officii praestandis erga eos se gesserunt, quibuscum tali ratione haud coniuncti erant. Ac fuerunt adeo, teste C. I. C. *de off. III. 6. § 28.*, qui palam profiteri non erubescerent: *parenti se aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa; aliam rationem esse ciuium reliquorum.* Quanto plures cogitauerint, parenti se aut fratri quidem benefacturos; reliquis hominibus non item! Verum si vel concedatur animi indolem humanam, beniuolam aliorumque salutis studiosam in veteribus fuisse nec tam raram nec tantis angustiis circumscriptam, ut non nisi utilitatis aut arctioris cuiusdam coniunctionis causa locum haberet: hoc tamen est certissimum, illam, si vel latissime patuerit, eos tantum complexam esse, qui eidem vel cultui religioso vel ciuitati essent addicti, atque ultra patriae fines vix esse progressam. Patet quidem hoc iam ex iis, quae antea de populorum disiunctione et dissidiis diximus; accedebant tamen alia quaedam, quae illas res magis promouebant. Inprimis huc pertinet opinio de diis quibusdam peculiaribus, quae apud omnes fere prisca aevi populos inualuerat. Non solum enim quaeuis domus atque familia gaudebat suis laribus ac penatibus; sed vrbes quoque ac singulae ciuitates deos iactabant tutelares, quos inprimis colebant, omnique honoris ac reuerentiae genere prosequerantur; a quibus autem vicissim liberationem a periculis, auxilium et opem contra hostes implorabant atque expectabant; quod ad animorum disiunctionem et exacerbationem non poterat non multum conferre. Iudaeorum quidem plurimi Iehouam, *suum* tantum, sibi que proprium deum putabant, qui ipsorum quidem rebus ac saluti prospiceret, caeteras autem gentes abominaretur, adeoque ipsi quoque has detestabantur. Satis autem notum est, saepenumero dissidia grauissima atque intestina bella et crudelia apud veteres Aegyptios inde orta esse, quod singuli Nomi singulas bestias vel tamquam sanctas colebant, vel auerfabantur tamquam immundas; nam

Inter



Inter finitimos vetus atque antiqua simultas  
 Immortale odium — — summus vtrinque  
 Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum  
 Odit uterque locus. e)

Ipsi Graeci et Romani, quamvis interdum peregrinas adeo religiones in vrbes suas traducerent, patriisque adiungerent, saepe tamen etiam iniustiores et inhumaniores erga eos erant, qui diuerso, a patrio, vsuque recepto, religionis cultu utebantur. f) Et quo maiori apud eos in pretio et honore ciuitatis ius erat, eo iniquiores se gerebant erga hos, qui illo iure non donati erant. g) Nihil autem ipsis prius, nihil antiquius, nihil excellentius erat, quam caritas erga patriam. Exinde vero facile potest colligi, admodum vulgarem fuisse apud veteres eorum, qui *ciuium rationem dicerent habendam, externorum negarent*, sentiendi modum, quem CIC. de off. III, 6 §. 28. recte propterea vituperat, quod sic *dirimatur communis humani generis societas, ac beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollatur*. Quae cum ita sint, equidem non putauerim affici a nobis iniuria veteres, si humanitatem eorum ac beniuolentiam erga alios valde limitatam fuisse contendimus, eorumque animis ferocem quandam, illiberalem, suisque potius quam aliorum commodis studentem indolem tribuimus.

Sed cum omni tempore viri extiterint, praeclaris ingenii animique dotibus instructi, qui ultra vulgus saperent, atque a superstitiosis opinionibus et perditis moribus, quibus multitudo erat dedita, non discederent modo, sed etiam operam suam in eo collocarent, vt rectora docendo hominum animos ad meliora informarent: horum virorum labores et studia eo magis a nobis in tali quaestione sunt perpendenda, quo facilius hac re omnia in suspicionem incidere possemus, nos esse parum aequos antiquitatis aestimatores, nostrarumque partium nimis studiosos. Pertinet enim non solum haec res ad accuratius perspicendam vim ac veritatem eorum, quae in superioribus sunt exposita, sed potest etiam sine eiusmodi disquisitione non effici id, quod nobis iam efficiendum proposuimus. Vt enim intelligatur, principium doctrinae de moribus ab auctore Christianae religionis constitutum, temporibus eius atque consiliis *optimum fuisse et accommodatissimum*, omnino opus est, vt ostendatur, *ea, quae ante Christum ab aliis, qui de religione ac moribus praeceperunt, sunt prolata, ad prauam istam generis humani*

e) Verba sunt Iuuenalis, excitata a Cels. MEINERS in *Vermischten Schr.* T. I. p. 212—17, vbi simul exempla quoque huius rei ex historia attulit auctor.

f) Exempla vid. apud P. R. BARTELS in libro, qui inscriptus est: *über den Werth*

*und die Wirkungen der Sittenlehre Iesu.* P. II. p. 62—82.

g) cf. *Act.* XVI, 37—39. coll. vl. 20—24, et c. XVIII, 17. ad quos locos vid. Interpret. De vniuersa autem re, quam haecenus tractauimus, cf. S. V. REINHARD in *Versuch über*



*humani conditionem emendam tollendam minus opta et accommodata fuisse.* Ex decretis igitur ac praeceptis virorum, qui magna olim auctoritate aeternarumque numero floruerunt, ea inprimis sunt afferenda, quae modum spectant, quo animus erga deum hominesque affectus esse debeat; examinandaque vis et efficacia, quae in illis fuerit, ad Numinis timorem infringendum animique ferociam et illiberalem *Φιλανθρῶν* amoliendam.

Accedamus primum igitur ad antiquissimam ex hoc genere disciplinam, eam nimirum, qua *Moses* auctoritate diuina instructus populares suos instituit; ac videamus, quanam ea habuerit rectoris animi indolis praesidia. Nec potest negari, *Mosen* Israelitis talia de deo eiusque cultu tradidisse praecepta, quae et a superstitione illorum temporum penitus abhorrerent, et supremo Numine longe digniora essent. Non solum enim deum non, nisi vnum, eundemque nequaquam esse sub vlla imagine fingendum colendumque saepius suis inculcauit; sed etiam dei benignitatem, misericordiam, clementiam, indulgentiam et insignem erga stirpem Abrahami fauorem vehementer praedicauit, adeoque eum ab Israelitis vicissim summo amore et honore prosequendum esse praecepit.<sup>i)</sup> Idem vero, cum praecideret, populum tam rudem efferatum ac pertinacem<sup>h)</sup> eiusmodi illecebris ac momentis ad obedientiam diuinis praeceptis praefandam et praeclara quaeuis efficienda non posse compelli, longe saepius ac frequentius aut deum ipsum ita loquentem induxit, aut de deo ita cum Israelitis disseruit, ut non possent non magnum a Iehoua suo timorem animo concipere. Minae enim ac poenae legibus additae, aut preces, quibus *Moses* apud deum pro peccatis Israelitarum intercessit, semper fere sunt ab ira et zelo Iehouae, qui legum suarum violatores consumat ac perdat, petitae; eo sine dubio consilio, ut nisi beneficiis diuinis atque inde oriundo erga deum amore ad leges eius obseruandas allicerentur, certe minarum gravitate ac timore Numinis a flagitiis, et inprimis a foeda idololatria absterrentur.<sup>k)</sup> Eandem ob causam deus ipse sese Israelitis tali ratione conspiciendum praebuit, atque vniuersam sui colendi rationem ita constituit, ut terror quidam animis eorum incenteretur, quo audacia compelleretur, conterereturque pertinacia. Siscebatur enim deus tanquam rex, ad cuius solium nemo accedere debeat, quocum colloqui nemini liceat, nisi intercedente aliquo ministro, et cui tanta debeatur reuerentia, ut sine summo periculo a mortalibus oculis

*über den Plan Jesu. Sect. II. p. 119—132. ed. tert.*

h) vid. *Ex.* XX, 2—4. 6. c. XXXIV, 6, 7. *Deut.* IV, 23. 31. 35. 37—39. c. V, 6—8. c. VI, 4. 5. c. XXXII, 7—14.

i) cf. *Ex.* XXXII, 9. c. XXXIII, 3. 5. c. XXXIV, 9. *Deut.* XXXII, 20.

k) vid. *Ex.* XX, 5. c. XXII, 22. 23. c. XXXII, 10—12. *Leu.* XIX, 14. *Deut.* IV, 24—27. c. VI, 2. 13—15. 24. c. VII, 10. 11. c. XXVIII, 15—68. et *Pf.* XC.



oculis non possit coram adspici.<sup>l)</sup> Haec autem omnia ita sunt comparata, ut Numinis timorem in Israelitarum animis non potuerint non alere et augere. Iam quod leges attinet, quas Moses suis scripsit ad rempl., animos, moresque eorum fingendos ac componendos, iterum infitias iri non potest, inter eas reperiri plurimas, quae iustitiam, aequitatem, humanitatem, benignitatem, liberalitatem et mansuetudinem suadeant.<sup>m)</sup> Sed concedi etiam debet, inter easdem esse haud paucas paullo rigidiores, ac duriores, ultionem adeo, eandemque feram et immitem suadentes;<sup>n)</sup> in multis vero humanitatem ac benignitatem intra fines popularium tantummodo concludi; erga externos autem siue tacite siue expresse maiorem Israelitis indulgeri licentiam.<sup>o)</sup> Inprimis autem illud ferociam animi et inhumanitatem, erga extraneos praecipue, non poterat non alere, quod Israelitis, gentes inquilinas et finitimas penitus extinguendas ac radicibus quasi exstirpandas esse, repetitis vicibus inculcabatur.<sup>p)</sup> Neque illud hac in causa praetermittendum videtur, quod Israelitis legum divinarum tenacibus non nisi praemia ab huius vitae commodis et gaudiis petita Moses promittebat; immorigeris autem eiusdem moduli poenas comminabatur;<sup>q)</sup> quod virtutis cultores efficere debebat parum honestos et liberales, sed lucri tantum spe ad recte facta inuitatos. Itaque

l) vid. *Ex.* XIX. c. XX, 15—18. *Deut.* V, 5. 22—31. *Ex.* XXXIII, 18—23.

m) v. c. *Ex.* XX, 10—14. c. XXI, 2. 3. 16. 17. 26—37. c. XXII, 20. 21. 24—26. c. XXIII, 1—12. *Leu.* XIX, 9. 11. 13—18. c. XXV, 39—43. *Num.* XXXV, 11—15. 22—25. coll. *Deut.* XIX, 6. *ib.* c. XV, 1—18. c. XXIV, 10 ff. c. XXV, 4.

n) e. g. *Ex.* XXI, 21. coll. *vs.* 20. *ib.* *vs.* 23—25. *Num.* XXXV, 19. 26. 27. c. XIV, 21. c. XX, 10—17. c. XXIII, 2—7. c. XXV, 17—19.

o) vid. *Leu.* XIX, 16—18. c. XXV, 44—46. coll. 39—43. *Ex.* XXI, 2. *Deut.* XV, 3. c. XXIII, 20. 21.

p) v. c. *Deut.* VII, 2. 16. c. XX, 16. 17. c. XXV, 19. *alibi.* Equidem labenter concedo, haec et multa alia, quae in Moisaica disciplina reprehendenda videntur, necessaria fuisse partim ob οὐκ προκρίθειν populi, ut Iesus ipse testatur *Matth.* XIX, 8. partim alias ob causas, inprimisque hanc, ne gens, verioris religionis conservatrix, idololatrarum contagione pollueretur; vid. *Ex.*

XXIII, 33. c. XXXIV, 15. 16. *Deut.* VII, 4. c. XX, 18. Attamen negari non potest, eiusmodi praecepta et instituta debuissent saevitiam quandam animis instillare, et quodammodo animum praebere hostili adversus omnes, qui non Abrahama fati, aut ipsorum cultui addicti essent, odio, quod *TACIT. historr.* V, 5. Iudaeis obicit. Recte igitur *GROT. de ver. rel. Christi.* II, 12. apud Hebraeos, inquit, sane lex melior, sanctior disciplina; sed tamen in populo impotentis irae dissimulata quaedam, aut etiam ipsis concessa: ut vis in populos septem id meritis; qua non contenti, omnes a se dissidentes crudeli odio sunt persequuti.

q) vid. *Deut.* VI, 17—19. 24. 25. c. VII, 11—15. c. XI, 1—28. c. V, 29. 30. c. XXXIV, 19. c. XXVIII. tot. c. XXXI, 17. c. XXXII, 19 ff. *Ex.* XX, 12. etc. Idem observavit *GROT. l. l. §. 9.* et innuit auctor *ep. ad Hebr.* VIII, 6. dicens, Iesum suam διαθήκην ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίας sanxisse, quam Moisen.

D



Itaque Mosaicam disciplinam satis quidem aptam dixeris ad consequendum id, quod legato illi diuino in formando constituendoque populo suo erat propositum; vniuersae autem praeceptorum temporum conditioni minus accommodatam, quippe quae nec contra Numinis timorem, nec aduersus ferocem et illiberalem animi indolem satis graui et efficacia suppeditabat praesidia.

Iam vero ab iis gentis Iudaicae rectoribus et doctoribus, qui post Mosen diuinitus excitabantur, multa quidem, quae huius disciplina manca et imperfecta reliquerat, sensim correctae, accuratius definitae, melius constituta sunt, et vniuersa doctrina ad maiorem perfectionem adducta;\*) sed cum omnes in summa rei conditoris vestigiis insisterent, id, quod hic requirimus, non effecerunt. Quamuis enim in scriptis illorum virorum egregiae descriptiones maiestatis diuinae, potentiae, benignitatis, liberalitatis, et fauoris erga homines, imo erga animantia omnia reperiantur, atque Iehoua erga gentem Israeliticam inprimis beneficentissimus, huiusque tamquam peculii sui amantissimus celebretur: tamen in his ipsis vestigia quaedam insunt pravae illius opinionis, quasi deus in distribuendis beneficiis suis saepe pro lubitu et ex praeeconcepto quodam amore agat, alios larga bonorum copia perfundens, alios vero negligens, aut odio et ira persequens.†) Hinc eae non tam efficaces fuerunt, ut Numinis timorem, qui tam altas in animis radices egerat, ac tot aliis rationibus alebatur, abolere potuissent. Ex altera vero parte illud quidem satis aptum erat ad animi ferociam, odiumque Israelitarum erga populos externos infringendum, quod Prophetae ciues suos saepe numero ab omni fraude et malitia debortantur, iis iustitiam, aequitatem, benignitatem erga miseros, egenos et oppressos commendant, atque praedicant, fore, ut aliquando Gentiles quoque ad cultum Iehouae admittantur, et ita cum Israelitis vnum coetum sacrum efficiant:‡) verum innumeri alii loci, ubi scripti, si inimicis suis dira quaeuis imprecantur, eorumque calamitatem non sine animi sui laetitia quadam conspicere videntur; aut in improbos et externos, quod sint animo a cultu Iehouae alieno et in remp. Iudaicam hostili, tanta vehementia inuadunt, ut iis poenas diuinas omnis generis grauissimas comminentur; aut denique piis et probis bona praecipue externa, vitam longaeuam, largam posteritatem, copiosos terrae prouentus, victoriam de hostibus ac tutam terrae possessionem tamquam praemia virtutis proponunt ac promittunt — hi, inquam, loci,

\*) Inprimis huc pertinent ii loci, in quibus sibi scripti de sacrificio vna ac sine, de vero deum colendi, eiusque fauorem conciliandi modo per animum pium, gratum, obedientem, aequum, benignum et liberalem differunt. Notauit eos et vberius hac

de re differunt GROT. I. V. §. 8. quem igi-  
tur vide.

§) cf. *Pss.* LXV. LXVI. LXVIII. LXIX.  
LXXIV. CXXIV—V. CXXXV—VI.

†) vid. *Ies.* I. 17. c. LVIII, 6—11. c. LIX.  
*Ier.* VII, 6. *Ies.* LXVI. *Mal.* I, 10. 11. ec.



ci, sententiae et dicta<sup>2)</sup>) fauent sane feroci et illiberali animi indoli, certe ad eam emendam tollendamue minus sunt accommodata. Neque vero id magnopere mirandum est. Cum enim vniuersa illa disciplina suapte natura auferior esset et quasi feruiliis, \*) istae labe corrigi aut aboleri non poterant, nisi disciplina ipsa per Iesum sublata. Hinc multo minus a recentioribus seclis, quae, posteaquam doctores diuinitus ad homines legati dudum extare desiissent, inter Iudaeos oriebantur, et Christi aetate magnopere vigeant ac pollebant, eiusmodi correctio istius disciplinae, qualem hic requirimus, expectari potest. Nam Sadduceaei, quamuis primaria quaedam doctrinae publicae capita negarent, ac de omni religione liberius cogitasse videantur, nihilominus tamen *promissionibus legis inhiabant, eoque nomine deum sibi sacrificiis, precibus, ieiuniis, aliisque cultus Leuitici caerimonii placare conabantur, ne iratum Numen promissiones amplissimas e populo tolleret.* \*\*) Famosi praeterea erant ob feros et inhumanos mores, quibus erga sese inuicem utebantur; \*\*) ob atrocitatem et rigorem in sententiis coram iudicio ferendis; \*\*) et ob sempiterna cum Pharisaeis dissidia, quae saepenumero ciuiliu motuum et multorum crudeliter faclorum fontes erant atque causas. b) Phariseos autem in cognitione dei et ratione eum colendi non vltra plebem, cui et praecipue accepti erant. sapuisse, ex superstitiosa eorum, curiosa et feruili pietate apparet; quae tamen maxime ex foeda hypocrisis, et avara lucrandi cupidine oriebatur, atque cum iniuriola erga eos, quos infra se positos aestimabant, insolentia, odioque implacabili et inimicitia erga omnes fecus de religione cogitantes coniuncta erat. \*) Tantum igitur abest, vt huiusmodi homines discipli-

D 2

a) Pertinent huc multi locorum e Sc. I. lucusque iam laudatorum, quibus plurimi alii addi possent, nisi res satis nota esset, et a VV. DD. dudum obseruata et exposita. Vid. quae hanc in rem notauit GROTIUS, quem saepius iam laudauimus, *de ver. rel. Christ.* II, 8—16. coll. V, 6—11. vbi multa reperientur, quae vel ad confirmandam sententiam nostram, vel ad excusandos hac ex parte scriptt. fl. pertinent.

x) hinc PAUL. eam *ad Rom.* VIII, 15. πνευμα δαλειος εις φοβον — *ad Gal.* III, 24. παιδαγωγον — *ib.* c. IV, 24. διαδημιγ εις δαλειαν γεννασαν, et c. V, 1. ζυγον δαλειας appellat.

y) Verba sunt WILLEMERI cuiusdam, qui singularem *de Sadd. dissert.* scripsit, laudata a BAYLE in *Diff. hist. et crit.* T. III.

*art. Saduceens. not. G. lit. f. ed. Roterod. a. 1715.*

x) IOSEPH. *de bel. Iud.* II, 8. §. 14. ed. Hauerc. Σαδδουκαιων δε ουκ προς αλληλιας το ηθος αγριωτερον, αψ τε επιμειξια προς τας ομοιως ατηνεις ως προς αλλοτριους.

a) *id. antiqq.* XX, 9. §. 1. Sadduceaei περι τας κρισεις ομοι παρα παντας τας Ιουδαιους.

b) Exemplum vid. apud *eund. ib.* XIII, 10. §. 5. 6. Magna quoque pars eorum fuisse creditur in immanibus factis, quae historia de Hyrcano, eiusque filio Alexandro, et Herodo M. commemorat. Defendere tamen eos conatur ab hac obiectione BAYLE l. I. not. D.

c) vid. Domini nostri aduersus eos sermones *Matth.* XV, 1—20. c. XXIII, 2—33. et *Luc.* XVIII, 9—12. Quo magis autem ex



na sua corruptae generis humani conditioni quoad religionem atque mores melandam aliquam attulerint, vt potius in ea populares suos magis confirmasse videantur.

Praeter Mosen, Israelitico - Iudaicae disciplinae auctorem, duo adhuc extiterunt in orientalibus terrae plagis viri, quorum praecepta et instituta ob inguem auctoritatem, quam et olim nacta sunt, et hodieque magnam partem tenent, digna sunt prae ceteris, quae hac in causa paucis commemorentur. Eminent inter illos *Confucius*, cuius disciplina una cum populo, cui eam tradidit, multorum quidem laudibus ad coelum vsque elata est. Attamen fuerunt, qui argumentis haud contemnuendis ducti ingenti illius populi et viri gloriae multum detrahendum esse existimarent. Namque non solum priscos Sinenses plures deos, singulis suas sedes atque munera assignantes coluisse, adeoque oissentis quibusdam exterritis Numinisque iram et imminentes calamitates extimescentes, deos suos certis ritibus ac sacrificiis placare studuisse; sed ipsum quoque Confucium hos gentis suae errores ac superstitiones non modo non correxisse, sed colligendo eas et amplificando adeo confirmasse. Istum enim virum nihil vnumquam de natura diuina disseruisse, atque in libris Sinarum sacris, Y—king et Schu—king, multa ab ipso profecta reperiri, quibus deorum iura et sacra, diuinandi artem, atque prodigiorum portentorumque religiones constituerit accuratius ac definiuerit. <sup>d</sup>) Quae si recte se habent, concedendum est, Confucium in placitis ad Numinis cognitionem cultumque pertinentibus tam parum feliciter versatum esse, vt suorum animos a supersticioso Numinis timore nequaquam liberauerit. Ex altera vero parte negari non potest, virtutis et morum praecepta Confucii illis longe praestantiora et rectiora esse, quippe quae sublimitate et excellentia Stoicorum de honestate decretis ac monitis tam similia esse contendit DE GÜIGNES, vt, nisi temporum ratio refragaretur, credas fere, Confucium sua e Stoa mutuatum esse. <sup>e</sup>) Illud tamen iure in his ipsis vituperaueris, primum quod maximam

ex JOSEPHI testimonio, de bel. Iud. l. 1. Pharisei Φιλαλληλοι καὶ τὴν εἰς τὸ κοινὸν ὁμονοῦν ἀπικνύτες erant; eo paratiores erant ad alios laedendos et infestandos, eod. teste, Antt. XVII, 2. §. 4. βασιλευσι δυναμενοι πολλοῖς ἀντιπράττειν, προμψδεῖς, καὶ τὴν πρῶτῃ εἰς τὸ πολεμεῖν τὴν καὶ βλαπτειν ἐπύρρηνον. Caeterum nemo, puto, mirabitur, nos nihil de Essenis, qui vulgo illis accenseri solent, hic monuisse, cum istud hominum genus a muneribus publicis et hominum confortio abhorreeret, vitam auferam et vere monasticam in syluis agris-

que degeret, sibi que potius quam aliis videret, nec magna inter Iudaeos auctoritate polleret.

d) vid. *Chou-king* de M. DE GÜIGNES. P. I. c. 2. P. II. c. 4. P. III. c. 11. et P. IV. c. 3. et 5. coll. *remarques de M. Visdelou* p. 428. et 436. ei. lib. atque in primis MEINERSII *hist. doct. de V. D.* P. I. p. 147—54. vbi accurate hanc disciplinae Sinicae vel Confucianae partem expoluit et illustravit auctor.

e) vid. *Praefat. eius ad lib. laud.* p. 6. *Id.* ib. p. 4. ait; Ce liure (*Chou-king*)

ren-



nam partem sint politica, adeoque magis gubernandi peritiam ac ciuilem prudentiam et inde oriundam imperii felicitatem et securitatem spectent, quam internam mentis honestatem et integritatem; ea vero quae ad haec pertinent, saepe paullo austeriora et rigidiora esse, quam ut hominis naturae et conditioni satis conueniant. f) Deinde autem, quod in hac causa grauissimum est, Confucius disciplina sua vitium istud genti suae ab antiquissimis temporibus quasi proprium, ut a consuetudine et arctiore coniunctione cum peregrinis magnopere abhorreat, non modo non sustulisse, sed confirmasse adeo videtur; s) ita ut Sinenfes praeceptorum doctoris sui tenacissimi eadem fere ratione hodieque erga eos sese gerant, qui commercia cum iis instituire conantur. Qua propter sua quidem laude non priuandus est Confucius, cum merita eius de gente sua satis magna sint; simul vero etiam fatendum, eum talia religionis ac morum praecpta proposuisse, quae prauae conditioni, qua prisco aevo laborabat genus humanum, corrigendae minus apta et accommodata essent.

Perfarum vero a *Zoroastre* instituta disciplina, quamuis et olim vehementer celebrata fuit, et hodiernum a paucis istius gentis reliquiis, Gauris, sancte obseruatur, tamen quoad auctoris personam, aetatem, res gestas et placita incertissima est; nos igitur ea tantum asseramus, quae bene multis habere videntur aliquam probabilitatem. *FLVTARCHO*<sup>b)</sup> igitur teste et *DIOG. LAERTIO*

D 3

TIO

renferme une morale austere, il l'prescrit partout la vertu, l'attachement le plus inviolable au Souverain — un profond respect pour le culte religieux, la plus parfaite soumission aux loix, une entiere obeissance aux Magistrats etc.

f) Patet hoc non solum ex modo laudatis verbis de Guignes, sed etiam ex vniuerso Schu-king, qui proprie annales imperii continet, resque ab imperatoribus eorumque amicis gestas breuiter enarrat, simul vero etiam eorum dicta, monita et praecpta exponit, quae, ut ab eiusmodi viris non potest aliter expectari, ea potissimum officia complectuntur, quae ab imperantibus et parentibus inuicem sibi praestanda sint ad regni felicitatem tuendam et promouendam — Alterius vero rei exempla vid. in eiusd. libri P. I. c. 4. P. III. c. 8. P. IV. c. 4. et 10.

g) vid. de GIGNES in *Pracf.* p. 5. et 6. ubi inter alia haec verba Plinii asserit:

*Seres* (i. e. Sinae) *mites quidem, sed et ipsis feris persimiles, cum commercia spectant;* et addit, Confucium hanc popularium suorum indolem quodammodo probasse et confirmasse, dum frequenter ipsis inculcauerit, non esse res pretiosas ab exteris petendas; sapientes vero *uicis* studiose in domum recipiendos.

h) in lib. de *Iside et Osir.* Opp. T. II. p. 369. νομιζουσιν οι μεν θεος ειναι δυο καθ'αυτον αντιστεχνης; τον μεν γαρ αγαθων, τον δε Φαυλων δημιουργον. οι δε τον μεν αμεμονον, θεον, τον δε εεβρον, δαιμονον καλοσιν; ωσπερ Ζωροαστρης ο μαγος — δε εκλελει τον μεν Διουμαζην, τον δε Αρσιμανιον — εδιδαξε μεν τω ευπειθια θειν και χαρισηρια, τω δε αποτροπικω και συνδρωτικω. Addit deinde cuius certas quasdam stipes et animalia sacra esse; eos pari numero contrarios procreasse genios; peptuis dissidiis agitari; vnum alterius opera demoliri, ita, ut homines non prius beati forent,



τιο<sup>4</sup>) statuit Zoroastres, duo esse suprema Numina, alterum bonum, bonorum, malum alterum, malorum auctorem. Haec duo Numina sempiterna inter se gerere bella, modo hoc modo illo superante; vtrumque autem singulari cultu esse prosequendum ac placandum. Porro hoc tamquam certum funi potest, eum Magicae disciplinae nisi auctorem et inuentorem, certe restauratorem et amplificatorem fuisse;<sup>k</sup>) quae siue fuerit *Θεουργική*, siue *γαστική*, siue denique ex Platonis (l. l.) sententia in *Θεων Θεραπειῶν* tantum fuerit posita, ita tamen comparata erat, vt non posset non sacro quodam horrore animos multitudinis implere. Pertinebat enim ad haec Magorum instituta et arcana quaedam cultus diuini ratio, quippe solos Magos a diis exaudiri credebatur;<sup>l</sup>) et diuinandi, prodigia interpretandi, resque futuras ex omnibus coniciendi peritia, quippe deos sibi apparere contendebant Magi.<sup>m</sup>) Ex his aliisque rebus, quae de vita et institutis Zoroastriis narrantur, apparere putauerim, eum impioforem potius dicendum esse, qui religionis terroribus multitudinis animos pro lubitu ducendos et impellendos docuit,<sup>n</sup>) quam eiusmodi doctorem, qui apta peruersae ac timoris plenae de deo cogitandi rationis suppeditauerit remedia. Vtrum vero et qualia morum et virtutis proposuerit praecipua, de ea re parum constat, cum maxime dubium sit, an Perfarum liber sacer, *Zendauesta* dictus, eiusque quasi compendium, quod *Sad-der* appellatur, auctorem habeant Zoroastrem, et praecipua atque canones, qui

forent, quam post nouem millia annorum Caecodaemon tandem perierit.

l) in *Proem. segm. 8.* vbi asseuerat: *Αριστοτέλην* et plures alios perhibere: *ὄνομα κατ' αὐτὰς* (scil. Magos, *ὡν ἀρχαί Ζωροαστρῆν τὸν Περσῶν* dixerat *ib. segm. 2*) *εἰσὶν ἀρχαί, ἀγαθὸν δαιμόνα, καὶ κακὸν δαιμόνα καὶ τὸ μὲν ὄνομα εἰσὶν Ζεὺς καὶ Ὀρομεισδής, τὸ δὲ Ἄδης καὶ Αρεμειανός.* Quamuis autem *Hyde, Bayle, et Brucker* in hoc Zoroastrii systemate exponendo diuersas abeant in partes, hoc tamen certum manet, Arimanium Numen esse aliquid tremendum. Hinc etiam in lib. *Sad-der* (quem *την ἡυδὴ hist. rel. veit. Perss.* lat. sermone adiecit. p. 436 ff.) multa reperiuntur praescripta ad diaboli daemoneumque vim noxiam arcendam et infringendam. v. c. *Porta 7. 10. 14. 16. 17. 22.* et *P. 72.* expiationis quoddam genus a sacerdote peragendum praecipitur, quo cauere debeat, ne diabolus cum daemonibus suis ingruente

nocte domum intret et incolis noceat. Nec de deo ipso satis recte in illo libro praecipitur; v. c. *P. 15.* Quicquid oculis tuis videris, nomen dei in illud recita *prae timore ab ira eius* — nam si dei nomen ad illud non assumeris, et eidem rei aliquid damni acciderit, habebis peccator et damnosus.

k) *PLATO* in *Alcib. I. c. 17.* ed. *Bieffer.* commemorat *την μαγείαν Ζωροαστρῆς.* et *PLUT.* l. l. Zoroastrem *τὸν μάγον* appellat, *ΠΙΟΓ.* autem eum *τὸν Μάγον ἀρχαί* dicit.

l) *ΠΙΟΓ. segm. 6.* ait: *τὰς Μάγους περὶ τὴν Θεραπειῶν Θεῶν διατρίβειν καὶ ἑστῆας καὶ ἐνχῆας, ὡς αὐτὰς μόνους ἀκαθάρτους.*

m) *id. segm. 7.* refert, eos *ἀσκεῖν τε καὶ μαντικῆν καὶ προρῆσιν, καὶ αὐτοῖς θεῶς ἐμφανίζεσθαι λεγούτας.* cf. *cic. de diu. I. 41. §. 90.*

n) Hinc *eod.* teste *ib. §. 91.* nemo rex Perfarum poterat esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset.



qui in illis reperiuntur, magis genuina sint, quam oracula Zoroastri vulgo quidem tributa, sed manifesto supposititia. Nobis quidem eiusmodi ingenii vir plane alienus a morum praeceptis tradendis, et ad animos vera, honesta ac liberali virtute imbuendos ineptus videtur. \*)

Præter hos duumviros nullus in oriente existit ante Christi aetatem philosophus aut religionis doctor, qui singularem disciplinam corruptae generis humani quoad religionem atque mores conditionis emendatricem considerit. Sacerdotes autem, quibus harum verum cura velut haereditario iure concredita videri posset, uti apud plerosque antiquos populos, ita apud orientales inprimis, aut mandandis victimis vnice occupati erant, aut omnem operam in eo ponebant, ut arcanis suis artibus ac praestigiiis multitudinis oculos ac mentes effascinatas tenerent, et exinde maxima emolumenta lucrarentur. Floruerunt quidem inter eos *Brachmanes* apud Indos sapientiae et melioris doctrinae laude haud exigua, quippe qui, ut patet ex ipsorum libris sacris nostra aetate magnam partem in lucem editis, et in supremi Numinis cognitione cultuque a vulgi superstitione longe recedebant; et morum praecepta tradebant Stoicorum his de rebus placitis haud absimilia. \*\*) Sed cum sacerdotes illi istos harum rerum commentarios caute a vulgi oculis absconderent, atque cum hoc non nisi ea communicarent, quae ipsi viderentur ad auctoritatem suam fulciendam et corroborandam apta et vilia, adeoque superstitiosos ritus et caerimonias ad hanc rem inprimis accommodatas sedulo curarent; cum praeterea a caeteris regni ordinibus, uti et hi ipsi a se inuicem ita disiuncti essent, ut nemini liceret ex suo ordine in alterum transgredi, omnes autem sacerdotes, tamquam dei ministros, amicos et interpretes ad populum, sacro quodam horrore, qui ipsos reges terreat, venerentur: *Brachmanum* disciplina neque ad Numinis timorem, neque ad prauam erga alios se gerendi rationem corrigendam apta et accommodata erat. Cum praeterea eorum placi-

\*) vid. BRUCKER *hist. crit. phil.* T. I. l. II. c. 3. §. 3. et 16. Ipse autem liber *Sad-der* hoc probat, si nempe, ut *Hydeo* videtur, genuinos *Zoroastri* canones continet; quippe in quo occurrunt multa verae virtuti contraria. Legas v. c. quae inde a *Porta* 75 — 88. de variis pollutionum et lustrationum generibus; aut P. 19. 65. 67. de modo obtinendae vel perdendae salutis aeternae praecipuntur, et partim ridicula, partim dura et superstitiosa sunt. Inprimis autem hac pertinet, quod P. 21 et 33. inhumanitas erga infideles et peccatores suadetur, quippe quibus nulla omnino beneficia sint exhiben-

da; et saepenumero virtutis studium solummodo a praeiis ipsi propositis commendatur, v. c. P. 2. 3. 6. 22. 71. 73. Insunt tamen etiam praeclara quaedam et excellentia monita (v. c. P. 71. Tu facito hominibus idem, quod si illi tecum fecerint, tibi satisfaciatur,) quae suspicionem mouisse videntur, multa e *Cod. nostro* sacro surrepta esse et translata in illum librum, vid. BRUCK. l. l. p. 153 ff. p) vid. ROBERTSON in lib: *historische Untersuchung über die Kenntnisse der Alten von Indien* et *Append.* p. 3 8—44. et pag. 306—8. coll. *eiusd. App.* no. I, et II, *vers. Forster.* *Shigusa* *Shigusa* *Shigusa*



placita, quibus et ipsi in quasdam sectas diuisi erant, magnoperè cum Graecorum philosophorum his de rebus decretis conuenirent: \*) statim ad hos nos conuertimus, inter quos tanti ingenii viri variis temporibus extiterunt, ut iure ab iis longe meliora et praefantiora rectoris animi indolis praesidia et adiumenta sperari possint ac debeant. Eorum quasi agmen duxisse quidem referuntur notissimi illi septem Graeciae sapientes; sed cum isti viri non tam philosophi et religionis morumque doctores, sed potius homines fuerint ciuili quadam sapientia excellentes et ob peritiam suam ac virtutem in ciuitatibus bonarum legum ope conformandis, consiliorum prudentia gubernandis, fortiterque in libertatem vindicandis, grata hominum memoria celebrati, in tali disquisitione iure possunt omitti. Et quamuis Thales, quem *c. i. c. de leg. II, 11. in. i.* sapientissimum in septem vocat, accuratius de rebus philosophicis quaerere coepit, scholamque singularem condidit: tamen, cum eius sectatores, teste *c. i. c. Tuscul. quaest. V, 4. in. i.*, rebus physicis et mathematicis explorandis et inueniendis maxime operam nauarent, reliqua negligerent fere; nec isti philosophi in censum haec venire possunt.

Socrates vero, quamuis duobus vsus est scholae Ionicae praceptoribus, (*DIOG. LAERT. II, 19.*) longe tamen aliam ac plane diuersam ab ista disciplina in philosophando ingressus est viam. Misso minirum, imo contempto ac per risum exagitato philosophorum sui temporis more, de rebus, quas putabat, futilibus et inanibus (quippe quae nec hominis felicitatem promoueant, nec satis sciri ac perspicui possint) quaerendi, coniectandi ac disserendi, vnice in eo occupatus erat, ut homines vera erga deos pietate imbueret, et ad rectam animi indolem adduceret. \*\*) Si qua igitur de religione ac moribus praeepta pravae isti priscae aevi conditioni contraria ab ullo antiquitatis doctore iure expectari possunt, certe ab hoc tanti ingenii viro eiusmodi quid sperandum seduloque cauendum est, ne iniquitatis erga eum nos reos faciamus. Extra omne igitur dubium positum est, Socratem, etsi de natura diuina ipsa, de ratione qua illa mundum effecerit, et materia, ex qua hunc produxerit, nihil disseruerit, tamen supremum aliquod Numen summa vi ac sapientia praeditum agnouisse, quod sit rerum omnium auctor, conseruator ac gubernator, itemque beneficum erga res ab ipso procreatas omnes, inprimis vero *Φιλανθρωπον*, hominumque salutem omnium ac singulorum summa cura prospiciens. \*) Rectum autem huius Numinis cultum consistere

q) vid. hac de re pluribus differentem *Cel. MEINERS* in *hist. doct. de V. D. P. I. p. 114—39.* qui etiam inde aliisque ex rationibus colligit, Brachmanas meliorem doctrinam suam a Graecis post Alexandri expeditionem in Asiam accepisse.

\*) vid. *c. i. c. Tuscul. quaest. V, 4. in. i. id. Acad. quaest. I, 4 s. 15. XENOPH* in *Memorabb. I. I. c. I. §. 11—16. ed. Zeum.* et *DIOG. LA. II, 21.*

§) cf. *XEN. Mem. I, 4. inpr. §. 17. vbi Socrates την εν παντι Φρονησιν et την τε*  
*ἴδω*



flere in pia mente veraque virtute, nec posse eius beniuolentiam multis et magnificis conciliari donis et sacrificiis; sed eum esse deo carissimum, qui ea re, quae ipsius curae demandata sit, recte fungatur, officiiisque suis et illius voluntati satisfacere studeat. <sup>1)</sup> Haec aliaque Socratis de deo eiusque cultu dicta et placita omnino quidem ita sunt comparata, vt superstitionum Numinis timorem prorsus ex animis depellere debeant. Verum his suis egregiis effatis admiscuit philosophorum princeps opiniones quasdam de diis inferioribus eorumque in regundo mundo partibus, plebis superstitioni non modo non contrarias, sed fauentes adeo. Praeter summum enim Numen alias quoque esse naturas diuinas, deum inter atque homines medias, illius in gubernandis rebus omnibus ministras, atque horum custodes; easdemque ex oraculi praescripto, tanquam deos patrios, *νομοφ πολεως* colendas venerandasque statuit. Hinc et ipse publice recepto more consuetis ritibus ac sacrificiis deos publice priuatimque coluit, et aliis idem studiose faciendum praecepit. <sup>2)</sup> Porro non solum ipse singulari quodam diuinationis genere se vti professus est, <sup>3)</sup> sed etiam aliis *μαντικην* vehementer commendauit, eamque magnopere laudauit, cum vtilissima sit ad perspiciendas res futuras, cognoscendamque deorum voluntatem, vtrum conatibus nostris annuant, secusne; eos vero, qui in deorum patriorum cultu recepto et diuinationis vsu negligentiores erant, aut vtrumque contemnebant, reprehendit ac vehementer improbauit. <sup>4)</sup> Cum vero, vt supra demonstrauimus, haec cultus publici et diuinationis instituta atque ritus timore Numinis viterentur, eumque necessario in animis hominum alere deberent; Socrates autem istas res sua ipsius auctoritate confirmauerit:

*Δες Φρουσιν* commemorat. et *id. ib. IV, 3. inpr. §. 13.* vbi *του Θεου τον όλον κοσμον συνταπτοντα τε και συνεχοντα, εν φ παντα κηλα και αγαθα εστι*, distinguit a *τοις αλλοις (θεοις) ημιν τα αγαθα διδασκ.* Caeterum plerumque Socrates promiscue de deo et diis loquitur. vid. II. II.

<sup>1)</sup> vid. *Mem. I, 3. §. 3. I. III, 9. §. 15. I. IV, 3. §. 17.* Hinc etiam non nisi ea, quae bona deo videantur, ab eo efflagitanda hominum precibus existimauit, ratus, eam solum scire, quid verae vniuscuiusque salutis competat, repugnetne. cf. *Mem. I, 3. §. 2.* coll. *PLAT. in Alcib. II, c. 5. ed. Biesler.*

<sup>2)</sup> cf. praeter II. II. inprimis *Mem. I, 1. §. 2. ib. c. 3. §. 1. et I. IV, 3. §. 16. ib. c. 6. §. 2—4.*

<sup>3)</sup> vid. *Mem. I, 1. §. 2—5.* Quicquid statueris de decantato hoc Socratis genio, illud tamen dubio carere videtur, hanc Socratis frequentem professionem de daemone quodam ipsum comitante ac de rebus grauioribus admonente, profectam esse ex *ενδεσιασμων* quodam animi, (vnde Balbus apud *c. c. de nat. dd. II, 66. §. 166.* ait: *nemo vir magnus sine aliquo afflatu diuino vquam fuit.*) et superstitionem apud alios quodammodo aluisse. vid. *Mem. IV, 3. §. 12.* et I. e. *c. c.* laud.

<sup>4)</sup> cf. praeter II. II. inpr. *Mem. I, 1. §. 6—9. ib. c. 3. §. 4. et c. 4. §. 2.* Prior locus praecipue memorabilis est. Ibi enim (sub fin. §. 9.) praecipit Socrates, *α μη δηλα τοις ανθρωποις εστι, περιεσθαι δια μαντικης παρα των θεων πυνθανεσθαι τας θεας γαρ, οίς*  
E



uerit: effecit, vt eius praecepta de religione ad omnem superstitionum Numinis timorem tollendum minus apta et accommodata essent. Morum autem praecepta, quae idem proposuit, si singula et per se spectentur, longe praestantissima fuisse et saluberrima, quis quaeso negauerit? Omni enim studio in id incubuit vsque ad extremum spiritus halitum, vt interrogando, disserendo, monendo, prouti occasio sese ipsi offerebat, animos a prauis studiis auocaret, meliora edoceret, honesti sensu imbueret, virtutis amore incenderet, atque ad bona quaeuis sectanda instigaret, perpetrandaque adiuuaret. Tantum igitur abest, vt eorum, qui eius disciplinam admitterent, mores corruerit, eosque effecerit feroces, inhumanos, tyrannicos, improbos, libidinosos et contemptores eorum, quos ipsa natura arctissimis vinculis nobiscum copulauit, vt Socratis inimici eum criminabantur, (*Mem. I, 2.*): vt potius illis continentiam, frugalitatem, mansuetudinem, liberalitatem, *Φιλανθρωπίαν*, reliquasque virtutes et dictis commendaauerit, et suo ipsius exemplo in omni virtutis genere exercendo viam praeuerit. <sup>2)</sup> Verum enim vero, cum hic nobis non de eo sermo sit, quid doctoris alicuius praecepta singulis praestiterint hominibus, quamque habuerint vim ad corrigendos eorum, quibuscum versabatur, mores; sed cum de vniuersa eius disciplinae ratione quaeratur, vtrum ad tollendam ferocem illam illiberalemque animi indolem, quam priscis hominibus in vniuersum inhaesisse supra asseruimus, satis apta et accommodata habuerit praesidia: in ipsa illa ratione, quam tenuit Socrates in proponendis praeceptis suis, formandisque ciuium suorum animis causa quaedam latere videtur, quae disciplinam eius ad tantam animorum ingeniorumque conuersionem producendam minus efficacem reddiderit. Quoniam enim Socrati hoc vnice propositum erat, vt quauis opportunitate vsus quibuscunque, qui faciles ipsi praerberent aures, ea tantum instillaret virtutum praecepta, quae ipsorum ingenii animisque maxime conuenirent, disciplinam suam moralem non ad certam quandam normam conformauit, <sup>a)</sup> qua vniuersae illius conditionis et indolis, qua laborabat antiquioribus temporibus genus humanum, rationem haberet, eique corrigendae tollendaeque inprimis operam nauaret; sed singulorum animos emendare, atque ab erroribus et vitiis, quibus Sophistae praecipue

*οἱς ἀνωστὸν ἴλεον, σημαίνεν.* Ex his verbis sequeretur igitur, deos erga alios esse beneuolos ac propitios; erga alios non eodem — Caeterum in hac certe causa perinde est, vtrum quis statuat, Socratem haec ex animi sententia, an solummodo detestandae inuidiae gratia dixisse. Vis enim ditorum eius, ratione multitudinis habita, eadem manet. Prius tamen, si quid video,

magis ad veritatem accedit, et ex ll. ll. ipsi apparere videtur.

<sup>2)</sup> *Mem. I, 2.* et l. IV, 8. §. 11. Omnino autem totus iste praestantissimus libellus locupletissimus ac fidelissimus huius rei testis est.

<sup>a)</sup> Videtur quidem eiusmodi quid innuere Socratis illud dictum apud *DIOG. l. II, 31.* *ἐν μόνον ἀγαθόν εἶναι τὴν ἐπιστήμην, καὶ ἐν*



cipue tum temporis iuvenes corrumpebant, vindicare studuit. Hinc etiam factum est, ut ex eius disciplina tanta enasceretur sectarum diuersitas, quae, quamuis longissime a se inuicem distarent, omnes tamen Socraticae disciplinae alumnos se profitebantur. Quod enim, ut scite obseruauit CIC. *de orat.* III. 16. *ex illius variis et diuersis et in omnem partem diffusis disputationibus* alius aliud apprehenderat; proleminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se, et multum disiunctae et dispares, cum tamen omnes se Socraticos et dici uellent et esse arbitrarentur. Quapropter equidem putauerim, egregium virum non affici a nobis iniuria, si disciplinam eius eatenus temporum priscorum conditioni non satis aptam et accommodatam fuisse contenderimus.

Illarum uero sectarum e Socratis schola profectarum longe celeberrima olim fuit ea, quae a Platone originem duxit, et Academiae nomine insignita diu floruit. Huius igitur disciplinam quoad religionis morumque praecepta paucis iam consideremus.<sup>b)</sup> Ac Platonem quidem saluberrimorum praeceptorum, quae per octo integros annos, quibus ab ore Socratis pependerit, ab hoc praefecto magistro accepta animo suo mandauerat, magnam partem retinuisse, quodam etiam modo ea magis excoluisse, illustrasse ac confirmasse, negari non potest. Statuit enim, esse aliquod supremum Numen, idque aeternum et semper idem, nullis constans partibus, sola mente comprehendendum, nec ullis commutationum aut commotionum fluctuationibus obnoxium; quod non solum gaudeat summa uis, sapientia ac bonitate, sed iisdem etiam uirtutibus usum atque impulsam hanc reum uniuersitatem ita produxerit, eamque hunc in modum gubernet ac moderetur, ut, quantum quidem ipsa rerum natura ac totius mundi conditio patiat, omnes rerum dispositiones ac conuersiones ad omnium ac singulorum salutem conspirent. Porro idem praecepit, huius excelsissimi dei fauorem non posse amplis muneribus, splendidisque sacrificiorum ac rituum apparatus comparari, cum nec iratus, nec inuidus et maleuolus esse possit, adeoque etiam placari non debeat; sed interna animi pietate, obtemperantia erga ipsius leges et uera uirtute

E 2

eum

*ἐν μόνῳ ναίον τὴν ἀμείδιαν;* et *ΚΕΝΟΡΗ.* *Mem.* III, 9. §. 5. refert, Socratem contendisse: *τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἀλλήν παύσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι.* Hinc *ARISTOT.* *magis. mor.* I, 1. ait, eum non recte de moribus praecepisse, quoniam omnes uirtutes ad scientiam rerulerit, (*τὰς γὰρ ἀρετὰς ἐπιστήμας ἐποιεῖ*). Sed ex ipso *Xenoph.* *loco*, (§. 4—7.) aliisque rationibus patet, Socratem noluisse istis uerbis finem aliquem bonorum, (*τέλος*) aut principium quod-

dam doctrinae de moribus constituere; sed suauissime potius et commendasse, ueram illam et efficacem *σοφίαν*, animi uitaeque emendatricem, quae sequitur id, quod bonum, rectum et honestum esse cognouit.

<sup>b)</sup> Secuti sumus hac in re potissimum *Cel. MEINERS*, qui in *hist. litt. gr. et rom.* T. II. p. 683 ff. uniuersam illam disciplinam uerius et accurate exposuit. Hunc igitur adeant, qui eorum, quae iam a nobis dicuntur, testimonia et argumenta requisierint.



eum optime coli. Hactenus igitur, qua praeceptoris vestigiis insisteret Plato, bene se habent eius de religione decreta, et Numinis timori plane sunt contraria. Ipse tamen ea ratione, qua in illis proponendis, amplificandis et exornandis atque omnino in docendo usus est, praestantissimorum monitorum vim et efficaciam magnopere infregit. Cum enim in singulari illo viro cum ingenii acumine et subtilitate mirum in modum coniuncta esset luxurians quaedam ac ferociens interdum phantasia; cum praeterea post mortem Socratis varia instituisset itinera, quibus aliorum doctorum placita imbiberat, instituta cognouerat, variaeque eruditionis thesauros collegerat: ea, quae Socrates maxima cum simplicitate, perspicuitate ac sobrietate et omnino ita proposuerat, ut vel hebetior oculorum acies eorum veritatem perspicere, animusque non plane obturatus eorum vim sentire deberet — haec, inquam, eius discipulus non solum variarum opinionum, imaginum, allego- riarum ac mythorum involucris obduxit, sed etiam ea verborum copia et interdum audacia, ac paene tumore proposuit, ut sermo eius paullo obscurior fieret, ipse sibi interdum repugnaret, et omnino philosophus ille de rebus grauissimis saepe magis coniectasse, quam philosophatus esse videatur. Quae enim de natura dei ipsius; de aeterna materia ipsi adiuncta, omnis mali fonte; de anima mundi, cum feroci illa et rationis experte, quae materiae ab aeterno inhabitauerit, tum ea, quam deus produxerit intelligentem sui- que similem; de modo, quo deus aeternus ille ac summus mundum ipsum ex materia procreauerit, procreatumque moderetur; de deorum inferiorum natura, generibus ac partibus in condendo ac gubernando mundo, et quae sunt eius generis reliqua, disseruit ac fingendo composuit, ea sunt maximam partem tam obscura et a vulgari captu remota, ut nequaquam apta et accommodata dixeris ad multitudinem rectiori de summo Numine sentiendi et cogitandi ratione informandam. <sup>d)</sup> Huc accedit, quod meliora, quae de deo fouebat, placita ne communicanda quidem cum omnibus putauerit, vulgaremque superstitionem non intactam modo reliquerit, sed quodammodo etiam confirmauerit. In Timaeo enim ait, effectorem et quasi parentem huius vniuersitatis inuenire difficile esse, et cum iam inneneris, *indicare in vulgus nefas*; et ibidem paullo inferius contendit: *Credendum est veteribus et priscis viris*, qui se progeniem deorum esse dicebant; itaque eorum

c) *Idem Vir Cel.* in *hist. doct. de V. D.* Part. II. p. 403—8. inter alia Platonis figmenta hoc quoque commemorat, quod sibi persuaerit philosophus, summum mundi rectorem interdum ab eius administratione requiescere, rerumque vniuersitatem suo ipsius arbitrio relinquere; quo facto irrequietae illius et diuina potestate vix dum

coercitae animae ferocia rursus erumpat, mundumque immoderatis motibus perturbat ita, ut dissoluatur fere ac destruat, nisi vis diuina denuo interueniat.

d) Videtur etiam Plato consilio ita de istis rebus praecipisse, ne si sententiam suam magis aperte et perspicue indicaret, in vulgi inuidiam incurreret, quod Socrati acciderat;



eorum vocabula nobis prodiderunt. Nosse autem generatores suos optime poterant: ac difficile factu est, a diis ortis fidem non habere, quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur; sed quia de suis rebus notis videntur loqui, *veteri legi morique parendum est.*) Inprimis autem vulgari superstitioni fauit eius daemologia, qua non solum summo Numini uniuersum mundum tanquam perfecte beatum deum adiunxit; sed etiam astra coeli, tamquam deos, qui cernantur ac moueantur, et *δαίμονας*, quasi deos inferiores, qui eatenus tantum nobis declarentur, quatenus velint, colendos venerandosque proposuit. Horum enim naturam et munera ita exposuit, f) vt medijs sint inter diuinam humanamque naturam; interpretentur atque traiciant hominum preces et sacrificia ad deos, horum autem praecepta et instituta circa cultum sacrum ad homines; atque ita praesint omnino ritibus ac caerimonijs ad sacrificia, expiationes et incantationes pertinentibus, nec non omnibus uaticinationis, diuinationis et artis magicae generibus. Quae quidem eodem fere redeunt, quo Socratis de hisce rebus praecepta spectabant; adeoque hanc quoque ob causam Platonis disciplina ad superstitionis Numinis timorem tollendum minus apta fuit. Nec magis accommodata priscis temporibus fuerunt morum praecepta ab eodem proposita. Quamuis enim et in his magistrum suum magnam partem expresserit, tamen eadem vitia, quae uniuersae disciplinae Platonicae inhaesisse paullo ante obseruauimus, in hanc quoque philosophiae partem immigrarunt, eiusque efficaciam ad mores hominum mitiores honestioresque reddendos imminuerunt. Cum enim animum humanum ipsum quoque diuinae originis et naturae esse, atque e beata conditione, qua ante coniunctionem cum corpore fruebatur, in hoc domicilium miseriae et cruciatuum plenum, quasi in aliquem carcerem poenae instar ob scelera ante commissis detrusum et inclusum opinaretur, his suis placitis omnem fere morum doctrinam superstruxit. Corpus enim omnium errorum, affectuum, cupidinum et vitiorum animi fontem et causam habebat; eo enim impediti animum, quo minus verum cognoscere et perfectam felicitatem assequi possit. Illud igitur omni modo subigendum, appetitus, quam fieri possit maxime, compescendos, res humanas ac bona terrestria despicienda esse, et omnino sapientem

E 3

ac

rat. Certe DIOG. L. III, 63, 64. hoc innuit, inter alia dicens: *ονοματι κεχρηται ποιηλοις προς το μη ευσυνωπτον ενωχ τοις μιαιδεσι την πραγματειαν.* Propterea etiam dialogis potissimum vsus esse videtur, vt animi sui sententiam regeret; quod etiam innuit CIC. *Acadd. Quaest.* I, 12. §. 46.

e) Excitauimus latina CIGERONIS verba, quibus in *fragmento de uniuerso* Ti-

maeum Platonis expressit, c. 2. et 11. Graeca leguntur in PLAT. *Opp.* Vol. IX. p. 303. et 324. ed. Bipont. Quae mox dicentur, petita sunt ex eiusd. *fragm.* c. 6. 10. et 11.

f) In *conuiuio*; vid. *Opp.* Vol. X. p. 229—30. Verba integra sic se habent: *παν το δαιμονιον μεταξυ εσι θεω τε και θυητω — δια τετα και η μαντη πασα χωρει, και η των ιερωων τεχνη των τε περι*  
 716



ac virtutis studiosum eo enī oportere, vt quotidie emoriatur, h. e. vt animum magis magisque ex illo ergastulo in libertatem vindicare, deum sequendo ei quam simillimum fieri, atque ita ad perfectam felicitatem, quae posita sit in assidua contemplatione aeternae veritatis siue τῶν οὐρανῶν οὐρανῶν, peruenire studeat. Haec et multa alia, quae ex impuro illo fonte profluxerunt, quamuis egregie iam splendide dici exornarique possunt, atque ab ipso Platone tanta tamque eleganti et magnifica verborum copia, suauitate ac vi sunt proposita, vt animum paullo erectiorem non possint non in admirationem tanti ingenii rapere, et quasi ex hac terrenarum rerum humilitate ad sublimia coeli euehere: tamen, si accuratius examinentur, atque ad veram humanae naturae rationem conditionemque expendantur, nec illi satis conueniunt, nec vim habent ad homines mutuo amore inuicem sibi conciliandos, ac de aliorum salute bene merendi studio incendendos. Abstrahunt enim animum ab hominum societate, et in vana rerum contemplatione desigunt, imminuuntque caritatem illam et comitatem, quae humani nihil a se alienum putat. §) Hinc Plato ipse in Academiae suae umbra delitescere moluit, quam publicis fungi muneribus ac negotiis; nec iniuria tristis quaedam grauitas, quam prae se tulisse fertur, et fastus alios despiciens cum inuida quadam aemulatione coniunctus ei obiiiciunt. Etiam si enim illa vitia magnam partem ex naturali Platonis ingenio aliiisque causis deriuanda sint, tamen ex ipsius quoque placitis coloris aliquid ac roboris traxisse videntur. Quapropter illa ipsa placita et morum praecepta iis superstructa ad ferociam illiberalemque φιλαυτιαν prisco aeuo communem amoliendam satis apta et accommodata non fuerunt.

Haec vero Platonis disciplina cum affectarum praeclaris ingenii dotibus instructorum numero mox vehementer augetur et amplificaretur, temporum successu in quibusdam rebus discesserunt quidem illi a praeceptoris sui vestigiis; indeque enata est triplex Academia, *veteris*, *mediae* et *nouae* nominibus celebrata, Sed cum hae Academiae successiones atque conuersiones non tam eas res attingerent,

τῆς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπιτάξεις, καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. Θεὸς δὲ ἀνθρώπων ἢ μινύται, ἀλλὰ διὰ τὰς πᾶσαι ἐν ἐπιλήκῃ καὶ διαλεκτοῦ θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους.

g) Paulo durius quidem de hac philosophiae Platonicae parte iudicat BRUCKERVS, cuius tamen sententiam, cum paucis verbis comprehensa sit, nec penitus a veritate abhorreere videatur, addere adhuc liceat: „Refle aestimantibus, inquit, et ad vera dogmatum principia attendentibus patebit, non

mancam tantum, sed et absurdam esse; et ineptiis otiosi ingenii magis, quam naturae humani animi et sensus interni atque conscientiae experientia vel iustis rationis principii eam niti, et ex absurdo emanationis principio, quod in spiritualibus posuit, materiaeque falso et inani conceptu pleraque fluere; quibus effectum est, vt tota ethica Platonis ad enthusiasum philosophicum ducat, animumque vera emendatione non purget.“ vid. *eius hist. crit. philos.* T. I. p. 721.



rent, quae hic considerandae sunt, sed auctores earum iis potius accuratius definiendis et enucleandis operam darent, quae Plato de cognitionis humanae modo, vi ac certitudine dixerat, <sup>h)</sup> iure a nobis plane omitti possunt. Progrediamur igitur statim ad *Aristotelem*, discipulorum Platonis longe celeberrimum, qui alia ratione et meliori cum successu a praeceptoris vestigiis deflexit, ac singularem disciplinam condidit; quae, Peripatetica dicta, iam accuratius consideranda est, videndumque, vtrum multo aptiora et efficaciora corruptae hominum praeceptorum indolis habuerit remedia. Talia vero eam non habuisse, vel ex Aristotelis uniuersa philosophandi docendique ratione, et consiliis ipsi propositis apparet. Cum enim philosophiae placita ac praecepta in artis quandam normam redigere, atque adhibitis subtilibus distinctionibus, constituendis regulis, et inueniendis rerum notionumque appellationibus arti tantum propriis nouum aliquod philosophiae *συνήμα* effecisse videri vellet, non vitae, et in vsum multitudinis, sed scholae philosophatus est. <sup>i)</sup> Hinc etiam duplex instituit disciplinae genus, vnum *ἐπιδημητικόν*, quo horis pomeridianis rhetorices, rerum ciuiliū et artium praecepta tradebat, quicunque audire vellent; alterum *ἀγοαστικόν*, ad quod non nisi eos admittebat, quorum ingenium et discendi studium perspectum habebat; his tempore matutino philosophiae reconditoris quasi adyta recludebat; eademque ratione scripta quoque sua distinxit; vid. *GELL. noct. att. XX. 4.* et *CIC. de fin. V. 5.* Exinde vero iam suspicari licet, parum valuisse illam disciplinam ad vulgarem sentiendi agendique rationem emendandam; idque eo magis confirmabitur, si attenderimus, quid de summo Numine eiusque cultu praeceperit Aristoteles, De qua quidem re tantus fuit inter VV. DD. dissensus, vt difficile sit, certi aliquid eruere. Fuerunt enim multi inter Aristotelis sectatores et admiratores, qui cum cum ipsis libris sacris in doctrina de deo conspirare quam accuratissime contenderent. Alii, apud quos istius philosophi auctoritas parum valebat, cum inter atheos referendum esse censuerunt. Paulo mitiores dabant quidem, Aristotelem statuisse supremum aliquod Numen, sed eiusmodi, quod mundum nec procreauerit, nec pro sapientiae suae arbitrio gubernet; sed naturalis necessitatis vinculis et aeterni motus legibus adstrictum, tamquam primum mobile in machina extremae Sphaerae alligatum, a ceteris autem mundi partibus semotum sit, nec quidquam agat, nisi vt in summo otio se ipsum contempletur; quod adeo precibus adire aut sacrificiis placare velle plane inutile esse, cum nec malos punire, nec bonos

<sup>h)</sup> vid. hac de re *CIC. Acad. quaest. I. 8* et *12. coll. de nat. ad. 1, 5. et de off. II. 2. §. 7. 8.*

<sup>i)</sup> vid. eius *Metaphys. II.* (vel ex alio-

rum rationibus III.) <sup>1.</sup> vbi varias res ac subtiles quaestiones et dubitationes breuiter recenser auctor, quas sibi in philosophia indagandas, examinandas, discutendas ac definiendas proposuerit.



bonos iuuare possit aut velit.<sup>k)</sup> Ad veritatem tamen magis accedere videntur, qui contrarias tuentes partes affirmant, Aristotelem praeslantissimam quandam et supremam mentem, omnium rerum, motuum ac mutationum ab aeterno effectricem ac gubernatricem mundo praeposuisse.<sup>l)</sup> Cum vero haec sua decreta neque cum omnibus communicaret, neque ita proponeret, vt a plurimis potuissent perspicui et intelligi; ac praeterea de diis patriis ac vulgari religionis cultu multo rarius et cautius verba faceret, quam ipse eius praeceptor: qua tandem ratione apta et accommodata esse potuerunt illa ad abolendum summi Numinis timorem et superstitiosum cultum, qui eo nitebatur. In morum quidem doctrina disciplinam Peripateticam cum veteri Academica re ipsa congruisse ac consensisse, genere docendi tantum et vocabulis paulum distulisse, CICERO testatur pluribus locis.<sup>m)</sup> Quod si recte se habeat, ea, quae paulo ante de illa dicta sunt, huc quoque transferenda. Accedunt tamen alia quaedam Aristoteli cum aetheis suis propria, quae hanc disciplinam eo minus aptam et accommodatam temporibus praeferunt reddiderunt. Illud quidem iam non urgeam, Aristotelem vniuersam morum disciplinam dignitate sua et quasi sanctitate priuasse eo, quod illam ad politicam, tamquam primam eius partem, retulerit, adeoque honestatem ferre omnem pro ciuili quadam prudentia habuerit.<sup>n)</sup> Hoc vero in hac praesertim causa

<sup>k)</sup> vid. BRVCK. I. 1 p. 832 ff. de atheismo Aristotelis pluribus differens. *Id. ib.* p. 790 loc. *Orig.* laudat, vbi doctissimus ille ecclesiae antiquae vir de Arist. sectatoribus quoque dixit, eos negare, quidquam prodesse preces ad deum suas et sacrificia. Mature autem Arist. in eiusmodi suspicionem incidisse, exinde verisimile, quod ei tamquam impio iudicium ab Atheniensibus paratum fuerat, quorum tamen iniuriam Chalcidem concedendo a se auertit, *ὅτι ἐν ἐβελετο Ἀθηναίους διὰ ἐξουαρτεῖν εἰς Φιλοσοφίαν*, vt refert AELIAN. *var. hist.* III, 36. quocum cf. DLOG. LAERT. V, 5.

<sup>l)</sup> Hoc inprimis assertum iuit Cel. MEINERS in *hist. doct. de V. D.* P. II, p. 420 ff. qui tamen ipse fatetur p. 439—40. Arist. tam subtiliter, obscure, ambigue, confuse ac perturbate hac de re differuisse, vt mirum non sit, interpretes disciplinae Aristotelicae in tam diuersas partes abiisse.

<sup>m)</sup> v. c. de *legg.* I, 13. §. 37. de *fin* IV, 2. §. 5. *ib.* V, 3. §. 7. et *Tuscul.* quaeft. V,

30. §. 35. *Idem* in *fragm.* quodam, quod *Opp. eius Vol. IV.* p. 1097. ed. Ern. reperitur, refert Aristot. inter eos, qui nos ab aliqua scelerata suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt; et de *fin.* V, 4 §. 11. testatur, Peripateticis vitae degendae rationem placuisse quietam in contemplatione et cognitione positam rerum; quae quia deorum esset vitae simillima, sapiente visa sit dignissima; quocum loco alius eiusd. *lib.* c. 21. §. 58. conferatur. Sane enim ex his locis inter se comparatis apparere videtur, Peripateticis in summa rei cum Academicis quam maxime conuenisse.

<sup>n)</sup> *Magr. moral.* I, 1. *dei*, inquit Arist. paulo post initium, *εἰ τις μελλείεν τοῖς πολιτικοῖς πρακτικοῖς ἐνεαί, τὸ ἡθος ἐνεαί σταθίου μέρος ἐστὶν ἀρα γὰρ ἀρχὴ ἢ περὶ τὰ ἡθῆ πραγματεῖα τῆς πολιτικῆς. τὸ δ' ἔθλον γὰρ τὴν ἐπινομίαν δικαίως δοκεῖ ἀν μοι εἶχεν ἢ πραγματεῖα ἐν ἡθικῆν, ἀλλὰ πολιτικῆν.* Ex hac moralis disciplinae notione et circumscriptione illud quoque ortum vide-



caussa praetermittendum esse non videtur, quod inter vndecim virtutes, quas tamquam totidem honesti species recenset, (*mag. mor.* I, 20. ff.), semper primario loco fortitudinem (*ανδρειαν*) laudat, atque ita eam reliquis virtutibus anteponeere quodammodo videtur, (*ib. c.* 21. et *eth.* III, 9.). Eam vero, cum sit *μεσοτης περι φοβας και θαρση*, in eo maxime cerni existimat, si quis mortem non extimefeat; nec tamen in omni mortis genere, (*οιον ει εν θαλαττη, η εν νεσσις*;) sed in pulcerrimo, quod in bello oppetatur, tamquam *εν μεγατω και καλλιτω κινδυνω*. (citt.) Porro idem iram et vindictae cupidinem quodammodo in laude ponit, quoniam plane non irasci stultum, et lacesitum iniurias tolerare seruire fit. Secuti sunt, imo in deterius mutarunt haec magistri sui praecepta seriores istius disciplinae philosophi. Cum enim perturbationes animi non extirpandas putarent, quod sint non modo naturales, sed etiam vtiliter a natura datae, primum multis verbis *iracundiam*<sup>p)</sup> laudabant: *cotem fortitudinis* esse dicebant; multoque et in *hostem* et in *improbum ciuem* vehementiores iratorum impetus esse:

leues

videtur, quod omnem virtutis naturam in *μεσοτητι* quadam positam esse arbitrabatur. Ita enim *ethic. Nicomachi.* II, 6. *imit.*: *εστιν αρχη η αρετη εξης προαιρετικη εν μεσοτητι κσα τη προς ημας, υρισμενη λογη, και ως αν ο φρονιμος ορισει. μεσοτης δε δυο κωνων της μεν καθ' υπερβολην της δε κατ' ελλειψιν.* Est quidem Ouidianum illud: *medio tutissimus ibis*, prudentiae regula primaria; sed ad virtutem sine maxima ambiguitate transferri nequit. Ipse Arist. hoc sensisse videtur; dicit enim *ib. c.* 9. *διο και εργον εστι, σπαδμων εναι' εν εκασω γαρ το μεσον λαβειν, εργον, σιue, vt paulo post ait, τα μετα τυχην, ακρωσ χαλεπον.* Propterea suadet, declinandum esse interdum, modo ad *υπερβολην*, modo ad *ελλειψιν*; ita nos *το μεσον και το εν* allecutores esse, cf. hac de re *cic. Tuscul. qu.* IV, 17. §. 39. — *fin.* c. 18.

o) *eth. Nic.* IV, 11. *οι μη οργιζομενοι εφ' ος δει, ηλιθιοι δυνασιν εναι, και οι μη ως δει, μηδ' οτε, μηδε ος δει. δοκει γαρ εν εισιδουσα, εδε λυπεισαι, μη οργιζομενος δε εν εναι ανυπτιος το δε προσηλυτιζομενον ανεχεσθαι — ανθρωποδοβες.* Praecipit quidem in illo *cap. de mansuetudine*, atque ait, *τον προον* non esse *τιμωρητινον*, sed

potius *συγγνωμονον*; verum cum *προσηλυτι* ανα *μεσον οργιλοτης και αοργισιας* versari finiuerit, (cf. *mag. mor.* I, 23.), ipse agnoscit, *ε ραδιον εναι, διορισαι το πως, και τιτι, και επι ποιοις, και ποτον χρονον οργισειν, και μεχρι τινος ορθως ποιει τις η αμαρτανει. ο μεν γαρ μικρον παρεμβαινας ε ψεγεται, — και τας χαλεπαινας ανδρωδεις, ως δυναμενες αρχην.* Propterea dicit: *εν τοις καθ' εκασα και τη αιοθησει την κρισιν esse.* cf. etiam *eth. Nic.* II, 9. Quae quantopere fluctent, et verae humanitati contraria sint, non est, quod pluribus ostendamus. Possemus huc quoque referre, quod *mag. mor.* I, 34. contendat, filio erga patrem et seruo erga dominum nullum esse ius, (loquitur autem de *δικαιω πολιτικω*;) cum filius et seruus manui aut pedi similis sit, adeoque vtroque licitum sit pro arbitrio vti; quod quam durum sit, et indignum hominis natura, nemo non intelligit. Ne mulieri quidem erga virum eiusmodi ius concedit, sed tantum *εγγως τα πολιτικα δικαια* χειρου *μεν γαρ εστι η γυνη τα ανδρος.*

p) *Iram* vero *cic. Tuscul. qu.* IV, 9. §. 21. et *c.* 19. §. 44. ita finit, vt sit libido poffiendi eius, qui videatur laesisse iniuria,



leues autem *rationeularum* eorum, qui ita cogitarent: proelium rectum est hoc fieri; convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Haec nullam habere vim, nisi ira exanderit fortitudo; 2) imperia *seueriora* nulla esse sine aliqua acerbitate *iracundiae*.<sup>7)</sup> Oratorem denique non modo *accusantem*, sed ne *defendentem* quidem probandam sine aculeis *iracundiae*, ut *auditoris* (ergo etiam iudicis) iram oratoris incendat oratio. *Virum* denique *videri* negabant, qui *irasci* nesciat; eamque, quam *lenitatem* alii dicunt, vitioso *lentitudinis* nomine appellabant.<sup>8)</sup> Haec aliaque huius generis praecepta, quamvis aliquo modo defendi possint, tamen ita sunt comparata, ut animo non possint non ferociam quandam insillare; adeoque ad eam infringendam tollendamue plane sunt inepta.

E Lyceo ad *Stoam* pergamus, et disciplinae ibi a *Zenone* traditae, quatenus huc pertinet, vim et rationem accuratius perpendamus, idque eo magis, quo illustriorem omni tempore famam nacta est, ita, ut vix vlli philosophicarum sectarum, quae ante Christi aetatem celebrabantur, dignitate, gloria, clarissimorumque hominum assensu ac favore cederet. Nec tulit immerito hasce tantas laudes. Eiusmodi enim decreta de pietate ac virtute proposuit, quae non solum splendore suo oculos ferirent, sed animum quoque ipsum vi sua eueherent et ad bona quaevis fulcipienda et audenda erigerent. Primum enim magna argumentorum vi et verborum copia affirmabant Stoici, deorum Numinae ac provida cura mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore administrari;<sup>9)</sup> eosque non modo humani generis saluti in uniuersum prospicere, sed

figura

ria, seu breuius, *ulciscendi libido*. cf. *Sen. de ira* I, 3. Omnino autem totus iste liber inde a *cap. 5.* huc pertinet; impugnat enim auctor ibi has Peripateticorum rationes; et docet, quantopere humanitati aduersentur.

q) Rectius et mitius *Arist.* ipse, qui quidem *eth.* III, 11. dixerat: *Φυσικωτατη εοικει η (scil. ανδρια) δια τον θυμον ειναι, et magn. mor.* I, 21. *ως δε η παντελως ανευ παθους και ορηης εγγιγγεται η ανδρια*; at tamen addidit: *η προςλαβουσα προαιρεσιν, και το ε ενκα, ανδρια εσι*, et altero loco: *δει δε την ορημην ηνωσθαι απο τς λογης δια το καλον.*

r) *Arist.* I. supra I. dixit: *τες χαλεπωνοντας ανθρωπους αποκλιμεν, ως δυναμενης αρχην.*

s) Verba sunt *cic. Tuscul. qu.* IV, 19. §. 43. *Id.* testatur *ib. c. 20. §. 46.* Peripateticos contendisse, ipsam illud aemulari, obtredare, non esse inutile, cum aut se non idem videat consecutum, quod alium, aut alium idem, quod se. *Arist. mag. mor.* I, 28. tantummodo *νεμεσιν*, quae sit *μεσοτης Φθονεριας και χαιρεσκευιας*, h. e. aegritudinem quandam, quae indignetur ob bona, quae indigno alicui euenerint, in virtute ac laude posuerat. — De aliis vero rationibus, quibus *Arist.* decreta a quibusdam ipsius auctoris, v. c. *Theophrasto, Stratone Lampf. Dicaecharcho*, paullum immutata et fere corrupta sunt, vid. *cic. de nat. ad.* I, 13. *Acad. quaest.* I, 9. I. IV, 38. et *Tuscul.* I, 11. coll. 31.

t) vid. *cic. de nat. ad.* II, 30—53. §. 132. coll. *Diog. Laert.* VII, 147. *θεου*



singulorum quoque curam habere, eos plurimis et grauissimis beneficiis afficere;<sup>u)</sup> adeoque esse deos beneuolos atque beneficos,<sup>v)</sup> nullo modo metuendos, (CIC. *l. l. c.* 66. §. 167.) sed pura, integra, incorrupta et mente et voce colendos venerandosque (c. 28. §. 71.). Fatendum tamen est, eos multa his suis egregiis de Numine decretis admiscuisse, atque de quibusdam rebus ad religionis cultum pertinentibus tam superstitiose praecepisse, vt eorum doctrina dignam summi Numinis notionem informare, animumque ab omni metu liberare non potuerit. Nolo iam commemorare hoc, Stoicos diuinam naturam corpoream fecisse, dum contenderent, constare eam purissimo et liquidissimo aethere, vel igneo quodam calore, artificioso, vi genitrice praedito, sensus et rationis compote, omnes mundi partes penetrante ac fuso in omni natura;<sup>y)</sup> vade factum est, vt mundum cum astris in deorum numero reponerent, (CIC. *l. l. c.* 17. 22.), atque fictos et commentitios deos, quos vulgus colebat, e physicis rationibus et per allegorias quasdam explicare, atque ita plebis superstitionem cum placitis suis quodammodo conciliare studerent. (id. *l. l. c.* 23. 27. SEN. *l. l. c.* 8. et DIOG. *l. l. seg.* 147.) Illud vero hac in causa maiorem habet vim, Stoicorum *προνοϊαν*, quam tantopere celebrabant, aliis eorum opinionibus ita fuisse circumscriptam et infractam, vt superstitiosus Numinis timor animis nequaquam adimeretur. Cum enim contenderent, magna tantum a diis curari, parua negligi, (CIC. *l. l. c.* 66. §. 167.), Numinisque vim ac voluntatem et oblectantis materiae inobsequentia, (SEN. *quaest. nat. l. praef. sub fin.*), et *εμαρμενης* siue fatalis cuiusdam necessitatis legibus deprimi ac coerceri;<sup>z)</sup> nec non *μαντικην*,  
F 2 siue

θεον εναι ζωον αθανατον λογικον, τελειον, η νοερον εν ευδαιμονια, καις παντος ανεπιδεκτον, προνοητικον κοσμα τε και των εν κοσμη-δημιουργον των ολων, και ωσπερ πατερα παντων.

u) CIC. *ib.* c. 53. §. 133 — c. 66. Praeclare hinc ARRIAN. in *diess. Epißt.* I, 9. διαιτι Φοβηθησεται τι των ηνωμενων εν ανθρωποις; — το του θεου εχειν ποιητην και πατερα και ηδημονια, αχ ημας εξαιρησεται λυτων και φοβων;

z) Etiam erga improbos et impios; ita enim M. ANTONIN. *εις εαυτον* VII, 70. οι θεοι η δυσχερανισαι, οτι δεησει αυτες τοιτων οντων και τοσατων Φαυλων ανεχεσθαι; προς επι δε και κηδονται αυτων παντοις. cf. IX, 11, et 27. Semper autem hoc deorum exemplum hominibus imitandam proponitur et commendatur.

y) vid. CIC. *l. l. c.* 10. 11. et 22. coll. *l. l.* 14. 15. SEN. *de benef.* IV, 7. quid aliud est natura, inquit, quam deus et diuina ratio toti mundo et partibus eius inserta? Et DIOG. *l. l. seg.* 156. δυνας (Stoicis) την φύσιν εναι πυρ τεχνημον, οδω βαδιζον εις γενεσιν, οπερ εστι πνευμα πυρρειδες και τεχνοειδες. Nutabant autem se, nec sibi satis constabant Stoici, in finienda natura diuina, vt apparet ex eiusd. *segg.* 138—9, cf. etiam ANTON. *εις εαυτον.* VIII, 54.

z) SEN. *de proud.* 5. „Quid est boni viri? praebere se fato. Quicquid solatium est, cum vniuerso rapi. Quicquid est, quod nos sic viuere iussit, sic mori: eadem necessitate et deos alligat.“ Irreuocabilis humana pariter ac diuina cursus velit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem



sive superstitiosam illam futurorum diuinationem, prodigiorumque interpretationem adferrent: a) apparet, Stoicorum hac ex parte disciplinam eadem fere ratione, qua Socraticam supra ostendimus, superstitiosum Numinis timorem non penitus fustulisse, sed quodam adeo modo aluisse ac confirmasse. Morum autem doctrinam a Stoicis propositam quod attinet, omnes aequi harum rerum iudices uno ore fassi sunt, eos de virtute et honestate ita praecepisse, vt in vniuersa antiquitate nihil pulcrius, honestius, augustius et magnificentius reperiri possit. Nec potest infitias iri, nullam aliam sectam praecepta tradidisse animi ferociae et illiberali *Φιλανθρία* tam contraria, quam Stoicam. Cum enim statuerent, omnes omnino homines tam quoad mentem, quam quoad corpus vnius eiusdemque esse generis, adeoque arctissimis cognationis et quasi communis cuiusdam ciuitatis vinculis inuicem sibi esse connexos: b) disertis verbis praeceperant, homines veluti vnius corporis membra conspirare, ac se inuicem sincere, aliosque vt semet ipsos amare debere. c) Quae si *per se* spectentur, longe aptissima et efficacissima fuisse ad mitem ac liberalem animi indolem informandam, lubenter concesserim, nisi Stoici ipsi hanc praeceptorum suorum vim alia ratione rursus infregissent. Mitto equidem

dem fata, sed sequitur. *Semper parat, semel iussit.* "

a) vid. *cic. l. l. II, 2. §. 6. — cap. 4. et ib. c. 65—6. sen. qu. natt. II, 32.* Merito autem *Velleius* apud *cic. l. l. I, 20. §. 55—6.* duas istas res (*εὐμε. et μωυτ.*) *errores hominum* dicit; *Balbus* enim apud *emē. ib. II, 5. stellās crinitas* quoque magnarum calamitatum praenuntias habet; qua superstitione quae potest esse crassior in philosopho?

b) *M. ANTONIN. eis ξαυτον VII, 19. δια της των όλων στας διακορευετο παντα τα σωματα τη όλω συμφη και συνεργα, ως τα ημετερα μερη αλληλοις.* Et *XII, 26.* commemorat την συγγενειαν ανθρωπων προς παν το ανθρωπειον γενος propter νε κοινωνικων. Hinc *IV, 4. αιτ πολιται εσμεν — πολιτευματος τινος μετεχομεν — ο κοσμος ωστανει πολις εσι.*

c) *Id. ib. VII, 13. οδον εστιν εν ηνωμενοις τα μελη τε σμακτος, τωτον εχει τον λογον εν διατωι τα λογικη, προς μιν τινα συνεργικην κατσκευασμενη μαλλον δε σοι η τατα νοησις προσπεσειται, εινι προς ξαυτον πολ.*

*λακις λεγγς, οτι μελος εμι τε εν των λογικων συζηματος. εαν δε μερος ειναι ξαυτον λεγγς, κτω απο καρδιας Φιλεις της ανθρωπειας, απο σε καταλητικως εφρανει το ευεργετειν, ετι ως προπον αυτο Φιλον ποιεις, κτω ως αυτον ευποιων.* Hinc *ib. c. 55. ait,* hominem non sibi solum, sed omnibus natum esse; et *IX, 42 coll. VII, 73.* ipsa natura nos ad beneficiendum impelli, idque sine vlla lucri emolumentique spe. *Id. laepius* inculcat, ne improbos quidem et inimicos ab hac benevolentia et beneficentia excludendos esse (*v. c. II, 1. VII, 19. 23. IX, 27. XII, 26.*) sed deum esse imitandum, qui etiam impios ferat, iisque clementer beneficiat; vid. *ll. not. x. modo ll. et sen. de benef. I, 1:* „Ne deos quidem immortales ab hac tam essula necessitate sacilegi, negligentisque eorum deterrent. Utuntur natura sua, et cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuuant. *Hos sequamur duces.*“ Plura loca et testimonia ex aliis scriptoribus petita vid. apud *GATAK.* in *adnot.* ad *ll. ll.* Nimis autem inuidos et iniquos erga Stoicos esse, qui suspicati sunt, eos haec et similia prae-



equidem, nisi ea peruersis Stoicorum opinionibus de natura diuina, mentis humanae origine, vtriusque ac totius rerum vniuersitatis communiōe et nexu; <sup>d)</sup> hoc tamen iure Stoicis obici posse putauerim, *vniuersam eorum disciplinam fuisse paullo asperiores et duriores, quam veritas aut natura patiatur*, atque *istos virtutis magistros fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protulisse*. <sup>e)</sup> Ipsum primarium Stoicorum placitum hoc probat. Cum enim contendere, simplex, solum et vnum bonum esse id, quod honestum, contra id tantummodo malum, quod turpe; reliqua vero omnia, vitam, valetudinem, opes, bonam famam, <sup>f)</sup> et quaecunque non ad animam pertineant, *ἀδιαφορα* esse; adeoque sola virtute, etiam si cum summis cruciatibus, egestate et miseria coniuncta, vitam effici beatam: manifesto repugnabant communi omnium sentiendi et loquendi rationi, imo ipsi hominis naturae. Et quamuis ista placita egregie, splendide et magnifice exornari possint, et a Stoicis quoque exornata sint, tamen haud iniuria ipsis ostentatio quaedam vitio verti, et recte de iis dici potest, quod *c. i. c. in orator. c. 5. §. 20. de oratoribus quibusdam asserit, eos granditotius fuisse cum ampla et sententiarum grauitate et maiestate verborum*. Hinc vero oriebantur innumera illa *παράδοξα* et *ἐναντιώματα*, quorum causa Stoici tantopere vappularunt et irrisi sunt; quae etsi ab ipsis satis bene explicabantur, subtiliterque et argute emolliciebantur; tamen, cum hae *λεπτολογίαι* vulgarem captum longe exsuperarent, non poterant non in alienum a veris Stoicorum rationibus sensum detorqueri. Quid igitur, si plurimis praecepta illa, *omnes esse amandos, omnibus, etiam inimicis, esse benefaciendum*, non stricte accipienda, sed eodem loco

F 3

haben

praecleara monita e ll. nostris fl. subripuisse, subdolosque Christianorum imitatores fuisse, dudum VV. DD. ostenderunt; nemo igitur ostendetur, laudasse nos scriptorem duobus fere saeculis Christo posteriorem.

<sup>d)</sup> ANTON. XII, 26. coniunctos esse omnes homines ait, *ὅτι ὁ ἐκάστῃ νῦν θεός, καὶ ἐπιείθευ ἐρρωμη*, et II, 1. impium odilse non licet; *ὅτι μοι συγγενής — θείας ἀπομοίρας μετόχος*. cf. not. b.

<sup>e)</sup> Verba sunt *c. i. c. in orat. pro L. Munerena*, c. 29. §. 60. et c. 31. §. 65. Quamuis autem ipse fateatur in *lib. IV. de fin. c. 27.* apud imperitos tum illa dicta esse, aliquid etiam coronae datum; tamen cum iis, quae in isto libro differit, et omnino cum veritate ipsa fere conueniunt. Imitabantur autem hac in re Stoici Cynicos, qui teste

*DIOG. VI, 35* profitebantur *μυεῖσθαι τὰς χοροδιδασκαλίας καὶ γὰρ ἐπειὸς ὑπὲρ τοῦ ἐνδίδουσι, ἐνεκεν τῆς λοιπῆς ἀφαισθαι τὰ προσήκοντα, τοῦ*. Hinc *id. seg. 104.* obseruat, *κοινωνίαν τινα ταῖς δούσι ταῦταῖς αἰρέσεσιν εἶναι*; vnde sine dubio natum est tritum illud *Iuuenalis* dictum, *Stoicos sola tunica a Cynicis distare*. SEN. quidem *de breu. vit. c. 14.* defendere conatur suos dicens: *Cynicos excedere hominis naturam, Stoicos vincere velle*; alibi tamen ipse fatetur, suos quaedam *vitra modum praecipere, et amplius exigere. quam satis est.* vid. S. V. REINHARD in *Versuch über den Plan Jesu* etc. p. 198. not. 3.

<sup>f)</sup> *Chrysiippus* et *Diogenes* *εὐδοξίας* causa, detracta vtilitate, ne digitum quidem porrigendum esse censebant. *c. i. c. de fin. III, 17. §. 57.*



habenda esse videbantur, quo haec Stoicorum effata: *Solos sapientes esse, si disformissimi sint, formosos; si mendicissimi, diuites; si seruitutem seruiant, reges; omnia peccata esse paria; omne delictum, scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocauerit, et multa eius generis alia, quae a communi sensu penitus abhorrent.* Inprimis autem vi et efficaciae illorum praeceptorum apud multitudinem obiciebat Stoicorum *απαθεια*,<sup>a</sup>) qua iactabant: *sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et lenem: viri non esse, neque exorari, neque placari.*<sup>b</sup>) Admittunt quidem haec, vti iam fassus sumus, mitiorem interpretationem, neque humanitatem et clementiam prorsus excludunt; sed, cum amori erga omnes, etiam improbos, quem suadebant iidem Stoici, penitus repugnare viderentur: huius praecepti vim apud eos, qui ex temporum suorum ratione ad ferocem et illiberalem animi indolem propensi erant, necessario imminuebant. Hinc vero concludere licet, ne Stoicorum quidem disciplinam temporibus priscis omni ex parte aptam et accommodatam fuisse.

Huic veluti e contrario opposita fuit *Epicuri* disciplina, hanc ipsam ob causam a Stoicis tam grauer castigata, aliorumque aduersariorum criminacionibus, imo et calumniis tantopere vexata et oppressa, vt diu apud optimum quemque pessime audierit. Nec tamen videtur ex hac disquisitione penitus omittenda esse. Cum enim dudum aequi et docti harum rerum iudices concesserint ac probarint, et *Epicurum* ipsum cum magna discipulorum suorum parte vitam degisse simplicem

g) Eam non in torpore quodam animi, omnis sensus experte, positam fuisse et *SEN. de const. sap.* c. 10. *fin.* obseruauit, et *CEL. MEINERS* in *Verm. Schr.* T. II. p. 130 ff. vberius demonstrauit. Nihilominus tamen, vel ex ipso *SENECAE laud. lib.* apparet, Stoicos sapientis hac *απαθεια* praediti imaginem ita effinxisse, vt nemo mortalium illud assequi posset. Nec multum aberat, quin Stoicus ad hanc imaginem, quam fieri poterat maxime, compositus caeteros mortales, tamquam fugiuos, exules, hostes, seruos, stultos, insanos alto supercilio despiceret, eosque eundem paene in modum, quo *Pharisaei* (quos etiam cum illis comparat *Iosephus*) *הַרְמִיָּהוּ*, tamquam longe infra se positos contemneret.

h) Dignus est omnino, qui de horum praeceptorum vi et ratione conferatur, *SEN.*

in *l. II. de clem.* c. 5—7. Ipse fatetur, male propterea audire apud imperitos sectam Stoicam, tamquam nimis duram, et quae dediscere humanitatem iubeat; cum tamen nulla sit benignior, lenior, hominum amantior et communibus bonis attentior. Recte quidem hoc monet *Seneca*, et testatur *CIC.*, qui *de off.* III, 5—6, officia aequitatis et humanitatis omnibus omnino tribuenda e Stoicorum rationibus bene exposuit et asseruit. Sed cum in reliquis praeceptis suis saepissime fines humanae naturae egredirentur, quid impediabat, quominus haec quoque ad illam *ενδραστημιον* referrentur, quo vniuersam Stoicorum de moribus doctrinam laborasse breuiter quidem sed egregie docet *CEL. KANT* in *Crit. der praktischen Vernunft*, pag. 153. et 228—9.



cem atque honestam; <sup>l)</sup> et eius decreta, si modo recte explicentur, ac definiantur, probabilem et satis ingenuam efficere posse virtutem: <sup>k)</sup> operae pretium fore existimaerim, de hac quoque disciplina pauca, quae ad causam nostram pertinent, disserere. Iam igitur concedendum est, Epicurum esse profesum, esse deos, eosdemque aeternos, immortales ac beatissimos, atque ob hanc excellentem ac praestantissimam naturam pie sancteque colendos absque vilo timore. <sup>l)</sup> Verum si accuratius ad decreta istius philosophi de deorum vi atque natura attendimus, non possumus non in *Cottae* apud *Cic.* <sup>m)</sup> sententiam abire, qui contendit, Epicurum oratione quidem, invidia detestandae gratia, reliquisse deos eorumque cultum, re autem sustulisse; eiusque rationem homines a Numinis metu liberandi eandem fere esse, qua vti sint *Diagoras* et *Theodoros*. Horum nempe sententis non superstitionem modo sublatam fuisse, in qua insit timor inanis deorum, sed etiam religionem ipsam, quae deorum cultu pio contineatur. Cum enim mundum non deorum vi ac voluntate productum, sed e fortuita atomorum concursione et implicatione ortum esse contenderet; cum porro beatam deorum vitam totam in eo poneret, quod in summo otio, omniumque bonorum affluentia nihil agant, nullis occupationibus sint implicati, nulla opera moliantur, sua sapientia et virtute gaudeant, habentes exploratum, fore se semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus, (vt ait *Velleius* apud *Cic.* *l. l. c. 19* §. 51.): recte quidem sequitur id, quod idem paullo ante iactauerat, (*c. 17* §. 45.), metum omnem a vi atque ira deorum pulsum esse ab Epicuro, quoniam ab eiusmodi beata natura et ira et gratia segregata sit, quibus remotis nulli a superis impendeant metus. <sup>n)</sup> Sed non est, quod tantopere Epicureus ille cum suis

<sup>l)</sup> Ipse *Cic.* admodum acer et insensus Epicuri aduersarius, tribuit ei *de fin.* *II*, 31. §. 99. innatam probitatem *gratuitam*, non inuitatam voluptatibus, *nec praemiorum mercedibus euocatam*; et *ib.* *c. 25*, §. 81. ait: et ipse bonus vir fuit, et *multi Epicurei* fuerunt, et hodie sunt et in amicitis *fideles*, et in omni vita constantes et graues, *nec voluptate, sed officio consilia moderantes*.

<sup>k)</sup> *SEN. de vit. beat.* *c. 13*. in ea quidem ipse sententia sum, *sancta Epicurum et re-cta praecipere*, et si propius accesseris, tristitia: Voluptas enim illa ad paruum et exilium reuocatur, et *quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati*.

<sup>l)</sup> *DIOG. X*, 123. *Deus ζωων αΦθροτον και μωσαιοσιν.* *CIC. de nat. dd.* *l. 17-20*.

<sup>m)</sup> *ib.* *c. 41*, §. 115 — *fin. lib. I.* cf. *Cel. MEINERS*, qui in *Verm. Schr.* *T. II*, p. 88 ff. fusius hac de re disseruit.

<sup>n)</sup> Ita *DIOG.* quoque *l. X*, 139. Epicuri sententiam exhibet: *το μωσαιοσιν και αΦθροτον στε αυτο πραγματια εχει, στε αλλω παρεχει ωσε στε οργαισ, στε χαριστι συνεχσται εν αδενοι γαρ παν το τωσικον*. Idem testatur *LVCRET.* *l. 57* 62. Hinc *l. III*, 14. ita Graeae gentis decus alloquitur:

Nam simulacra ratio tua coepit vociferari,

Naturam rerum haud diuina mente coortam

*Diffugiunt animi terrores etc.*



fuis gloriatur, praeceptoris sui rationibus religionem (i. e. deorum metum) *pe-  
ditibus subiectam obtineri, nos exaequari victoria caelo.* Nam recte monet *Cotta* apud  
CIC. (l. I §. 117. quocum cf. LACRANT. de ira dei c. 4. et 8.) facile esse a  
superstitione liberari, cum omnis vis deorum sublata sit, nec esse, cur dii ab ho-  
minibus colendi sint, cum illi non modo homines non colant, sed omnino ni-  
hil curent, nihil agant. Epicurus igitur dum vitare voluit *δεισιδαιμονίαν*, ruit  
in contrarium vitium, *αθεοτητα*, quo quid sit grauius, aegre reperias. Illis  
vero decretis consentanea maximam partem est doctrina Epicuri de moribus.  
Cum enim summum bonum voluptatem, <sup>o</sup>) malorum finem dolorem haberet,  
beatamque vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum poneret,  
(CIC. de N. DD. I. 20. §. 53.); gratificationem et beniuolentiam pro imbeci-  
llitate duceret, (*id. ib. c. 44. §. 122. et DIOG. l. not. n. laud.*); animorum  
immortalitatem penitus negaret, (LVCRET. III, 842 ff. et DIOG. X, 65.); ac  
de diis ipsis tam peruerse praeciperet: non poterat non eius disciplina multos in  
errores grauissimos inducere, iisque et inhumanitatem et inprimis illiberalem il-  
lam *Φιλανθρωπίαν* suadere, in qua, quasi cardine, vniuersa eius disciplina vertitur.  
Quamuis enim Epicurus de iustitia, temperantia, fortitudine, frugalitate, libera-  
litate, amicitia, bene disliceret, <sup>p</sup>) suisque istas virtutes exemplo quoque suo  
commendaret, tamen hic non sermo est de singulis quibusdam Epicuri dictis aut  
factis, quibus, vt CIC. de fin. II, 31. bene obseruat, ipse sese redargebat; sed  
de vniuersa disciplinae eius indole et ratione. Quid autem potest esse lucidius,  
quam cum, qui cuncta voluptate metiatur, ipsamque virtutem huius administram  
et procuratricem esse velit, <sup>q</sup>) omnia propriae utilitatis gratia facturum esse, mo-  
do

o) Non quidem illam solam, quae est *εὐ-  
μηνία*, h. e. quae sensus iucunde afficit, et  
quasi titillat; sed *κατασηματικῶν* inprimis,  
quae posita est in doloris vacuitate, animi-  
que tranquillitate. cf. DIOG. X, 136. et  
CIC. de fin. I, 11. Quam parum tamen  
Epicurus sibi hac in re constiterit, docet lo-  
cus aliquis ex *lib. ei. περί τελείας*, quem  
DIOG. l. 6. exhibet, vbi ita scripsit: *ἐν  
ἐγῶν ἐχω, τί νοήσω τ' ἀγαθόν, ἀφαιρών  
μὲν τὰς διαχυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρών δὲ καὶ  
τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀπροκαμάτων,  
καὶ τὰς διαμορφῶς*, quae voluptates omnes  
sunt in motu, nec ad *εὐδαιμονίαν* illam De-  
mocriti pertinent, a quo Epicurus physica  
quoque decreta sua mutuatus esse dicitur.  
cf. DIOG. IX, 45. et CIC. de fin. I, 6.

Quantopere autem Metrodorus voluptatem  
illam sensus mouentem amplexus fuerit, do-  
cet MEINERS l. l. p. 71.

p) Eiusmodi praecleara et magnifica adeo  
dicta ex Epicuri hortulis decepta multa  
SEN. *epp.* suis ad Lucilium perferenda man-  
dauit, quae plerumque in fine earum viatici  
instar adiectae sunt. Pertinent hac etiam  
multae ex Epicuri *κωμικῶν δοξῶν*, e quibus  
et illa petita est, quam *Torghatus* apud  
CIC. de fin. I, 18. laudat: non posse iucun-  
de viui, nisi sapienter, honeste, iusteque  
viuatur; nec sapienter, honeste, iuste, nisi  
iucunde. vid. DIOG. X, 140. no. 5.

q) Ita enim scripsit *Epic.* ad *Menocentem*  
apud DIOG. X, 128. *ταῦτα χαρὶν ἀπαντὰ  
πρωτ.*



do ne maius malum inde oriatur, quam bonum illud est, quod acquirere, quoque frui studaerit? Quid igitur? si ad commoda sua, voluptatisque usum promouendum necessarium fuerit, alteri per vim et iniuriam aliquid detrahere; vel si doloris et molestiae cuiusdam fugiendae causa utile, aliis dolorem creare, nomine Epicuri discipulus, quando sibi constare et disciplinae suae conuenienter agere velit, quiduis sibi licere putabit, ad summum bonum nanciscendum, summum vero malum declinandum? modo hoc ita fiat, vt ne postea grauior inde molestia enascatur. Hinc etiam Epicurus prudentiam omnium virtutum primam et excellentissimam esse dixit, quippe quae semper rationes ponderet, quibus summum illud bonum optime et facillime et minimo cum detrimento tuo assequi possis. (vid. DIOG. l. l. seg. 132. coll. init. seg. 128.) Accedit denique, ipsum deorum exemplum et vitae beatae notionem auocare debuisse huius disciplinae sectatores a negotiis publicis aliorum causa gerendis, aliorumque salute absque proprio lucro curanda. Atque constat etiam, plurimos eorum paucis rebus contentos et voluptati suae indulgentes in hortulis suis delitescere maluisse, quam reimp. capessere; ac Metrodorum adeo omnes, inprimis Lycurgos et Solones, risisse tamquam stultos, qui neglecta arte bene viuendi aliorum commodis inferuire, eosque beatos reddere studeant, vt MEINERS l. l. c. *Plutarcho* refert. Talem igitur disciplinam religionis vim eneruantem, humanae societatis vincula relaxantem, et illiberali *Philautia* omnimoda alimenta praebentem, merito ineptam et minime accommodatam censemus ad prauam temporum praesentium conditionem, quam supra exposuimus, corrigendam vel tollendam.

Praeter eas sectas philosophicas, quarum disciplinas haecenus enarrauimus, et pro uirili diiudicauimus, extiterunt quidem ante Christi tempora, aliae quaedam, quae non omni laude caruerunt. Sed harum quoque decreta explicare nec instituti nostri ratio permittit, nec opus quidem est. Partim enim istae sectae ignobiliiores fuerunt, et mature expirarunt; partim similes laudatis; partim etiam in eiusmodi rebus perferendis et tractandis sunt versatae, quae in hac disquisitione nullam habent vim. Has igitur omnes iure omittimus. Sed ne quis forte nos eo nomine reprehendat, quod disciplinam aliquam neglexerimus olim florentissimam, multorumque laudibus vehementer celebratam, de *Pythagorae* eiusque familiae doctrina et institutis pauca, quae huc pertinere videantur, subiungamus. \*) Iam igitur hoc pro certo sumi posse videtur, Pythagoram eiusque anti-

quissimos

πραπτομεν, όπως μητε αλωμεν, μητε  
ταρβουμεν.

\*) In tantis fabularum, errorum, ac figmentorum, quibus hanc historiae philosophicae partem inuolutam et confusam

esse constat, tenebris ducem potissimum sumimus *Cel. MEINERS*, qui in *hist. litt. gr. atque rom.* T. 1. pag. 178 — 602. insigni acumine, doctrina et accurate illam purgare, enucleare et illustrare studuit.

G



quissimos discipulos de origine rerum, diuinaque natura tam vanas ac futilis fouisse opiniones, quae nec supremi Numinis vi et maiestate dignae nec a vulgari superstitione alienae fuerint. Primum enim existimabant, vim diuinam, tamquam mundi animam, per naturam rerum omnem intentam esse et quasi commentem, e qua nostri quoque animi decerperentur; quam etiam *ignem* vel *aethera* appellabant, et ipsam e numeris, quos omnium rerum principia esse statuebant, ortam genitamque putabant.<sup>1)</sup> Hinc non modo solem et lunam et caetera sidera inter deos referebant, sed etiam ex vulgari superstitione deos maiorum gentium, semideos siue daemones, et heroas, diuersosque cultus illis exhibendi gradus distinguebant.<sup>2)</sup> Quamuis vero eos cruentis hostiis non placandos, sed casto animo et puro corpore venerandos esse statuerint,<sup>3)</sup> tamen variis expiationum, lustrationum et initiationum generibus utebantur, atque omnem diuinandi somniaque et omina et sortes interpretandi artem exercebant.<sup>4)</sup> Quae quidem superstitionis opiniones et instituta quum semper eum timore Numinis coniuncta sint, atque ex hoc potissimum originem duxerint, Pythagorae quoque disciplinam hac ex parte praescis temporibus parum aptam et accommodatam fuisse apparet. In morum quidem doctrina ipsa constituenda parum valuisse Pythagoram, testis est Aristoteles,<sup>5)</sup> qui eum in hac quoque philosophiae parte numeris usum fuisse perhibet. Reperiuntur tamen inter praecepta a DIOG. LAERT. commemorata<sup>6)</sup> egregia quaedam, quibus mansuetudinem non erga homines solum atque adeo inimicos, sed erga bruta manum et res inanima-

s) cf. ARISTOT. *de coelo* II, 13. DIOG. VIII, 25—28. et CIC. *de nat. dd.* I, 11. quos locos *eiusd.* Viri diligentiae debemus, quam nauauit huic disciplinae Pythagoricae parti explicandae in *hist. doct. de V. D.* T. II, p. 500 ff.

t) cf. DIOG. l. l. f. 23. et MEINERS in *hist. lit.* p. 540—2. et 562—4. vbi etiam locum Plutarchi excitat, qui testetur, Pythagoram daemones in beneuolos et maleuolos dispescisse.

u) cf. DIOG. l. l. f. 22. Quum sacrificia apud veteres plerumque cum lautis epulis coniunctae essent, illud praeceptum ex eodem fonte, quisquis ille fuerit, promanasse videtur, quo suis esu carnis interdixit Pythagoras.

x) Teste DIOG. l. l. f. 24. Praecepit suis Pythag. *μαντινην πασαν τιμην*, statuitque (l. 32. coll. 33.) *ειναι παντα τον αερα*

*ψυχων εμπλεων και τετας δαιμονας τε και ηρωας νομιζεσθαι και υπο τατων πεμπεσθαι ανθρωποις τας τε σνειρες, και τα σημεια νοσον τε καρδιας και η μονον ανθρωποις, αλλα και τοις κτηνεσιν. εις τε τετας γνωσθαι τας τε καθαριμιας, και αποτροπιασμιας, μαντινην τε πασαν, και ιληθονας, και τα ομοια.* Caeterum in hac caussa perinde nobis est, vtrum fouerit Pythag. ipse has opiniones, an cum suis hisce artibus vsus sit ad augustam quandam speciem sibi conciliandam, vulgusque impellendum, vt consiliis suis saluberrimis lubentium morem gereret.

y) *Magn. mor.* I, 1. *πρωτος μεν εν επεχειρητε Πυθαγορας περι αρετης επειν εν ορθως δε. τας γαρ αρετας εις τας αριθμιας αναγων εν ομοια των αρετων την θεωριαν εποηισατο.*

z) I. VIII. f. 23. Praecepit nimirum: *αλληλοις ομιλεν, ως τας μεν Φιλιας, εχθρας μη*



tas discipulis suis commendauit. Praeterea etiam hominibus omnium aetatum, sexuum, atque ordinum singularia proposuisse eum morum praecepta testatur IUSTIN. XX, 4. §. 8. 9. Inprimis autem et exemplo et exercitatione suos in virtute confirmare et alios ad imitationem excitare studuit. Inde sua discipulorumque suorum ope atque auctoritate tantum valuit apud Crotoniatis, vicinarumque et remotiorum quoque ciuitatum ac regionum incolas, vt perditos ac dissolutos eorum mores ad honestatem ac frugalitatem reuocaret, ciuitates bonis, iustis ac salutaribus legibus institutisque ornaret et amplificaret, dissidia inter eos grauissima et diuturna sedaret componeretque, crudeles tyrannos debellaret et expelleret.<sup>a)</sup> Quodsi quis igitur rationem habuerit miserae istius atque luxuria mollietique corruptae conditionis, qua ciuitates magnae Graeciae ante Pythagorae aduentum ad incitas fere relectae narrantur; negari non potest, disciplinam Pythagorae his tantis labibus ac malis efficacissimam attulisse medelam, et haecenus hominibus istius regionis atque aetatis accommodatissimam fuisse. Si vero vniuersam rerum conditionem spectaueris, alia ratione iudicandum est. Singularis enim vitae ratio, quam Pythagorae affectabant, ab aliorum consuetudine plane abhorrens; arcana eorum instituta et placita tam caute, etiam symbolorum vsu, tecta, vt ab eorum communione extraneos tamquam profanos, pollutos et quasi emortuos arcerent, neminem, nisi sedulo explorata eius indole, acciperent, quosdam etiam penitus reiecerent; auctoritas denique illa et potentia, qua sibi solis imperium in ciues, quamuis saluberrimum, arrogabant; haec, inquam, omnia non poterant non et Pythagoraeos ipsos partium illo studio, quod clandestinis societatibus commune et quasi proprium, a vera autem humanitate alienum est, imbuere; et eos ipsos, quos disciplina sua prudentiores et honestiores effecerant, exacerbare, atque inuidia et odio in magistratos et gubernatores suos inflammare. Hinc non solum Crotonienses, sed aliarum quoque urbium ciues communi quasi consilio, viuo adhuc Pythagora, ad hanc societatem sibi inuisam et suspectam igne et ferro delendam, exilioque dispellendam conspirarunt.<sup>b)</sup> Quo factio, quamuis ad Arisfoxeni vsque et Heraclidis tempora Pythagoraeorum nomen ad-

G 2

huc

μη ποιησαι τας δεσπορας, Φιλας εργασι-  
δαι — ιδιον μηδεν ηγεισθαι — Φυτον ημερον  
μητε Φθειρεν, μητε σινεσαι, αλλα μηδε  
ζων, ο μη βλαπτει ανθρωπος — μη συν-  
δρωταζεν.

a) cf. CIC. de orat. III, 34. sub fin. et  
Tuscull. qu. V, 4. ab init. DIOG. l. l. f. 3.  
qui Pythagoraeorum administrationem re-  
rum publicarum quasi αριστοκρατικην quandam  
fuisse refert; et inprimis IUST. cap. laud.

b) cf. DIOG. l. l. f. 39 — 40. qui inter  
alias persecutionis causas refert quoque  
hanc, Crotoniatis incendisse domum, in  
qua Pyth. cum focus consererat, τυραννιδος  
επιθεσιν ευλαβημενος. Conuenit cum  
eo IUST. qui l. l. ait; Cum sodalitiij iuris  
sacramento quodam nexi separatam a caete-  
ris ciuibus vitam exercerent, quasi coetum  
clandestinae coniurationis haberent, ciuita-  
tem in se conuerterunt.



huc floreret, (cf. DIOG. l. l. f. 46.), nunquam tamen in societatem quandam rursus coaluere, atque cum ita eorum disciplina omni efficacia in hominum animis fingendis desinita esset, istae ciuitates in pristinum perturbationis statum prolapsae sunt. Exinde apparet, habuisse hanc disciplinam in femetipsa semina quasi interitus sui et grauissima impedimenta, quominus ferocem et inhumanam indolem ex animis hominum depelleret.

Expofitis igitur pro virium nostrarum modulo iis, quae ante Christum ab aliis viris magnis et illustribus de religione ac moribus inuenta et constituta sunt, atque ponderata vi et efficacia, quam haec placita et praecepta habuerint ad corrigendam prauam generis humani conditionem, si modum spectes, quo veterum animus erga deum hominesque alios affectus erat: neminem equidem tam obtusum et hebetem aut tam inuidum et ingratum fore confido, qui non gaudio animum perfusus multa egregie, bene recteque a praeclaris istis generis humani doctoribus excogitata, dicta et instituta esse fateatur; atque non modo eos ipsos admiretur ac celebret, sed etiam Dei O. M. benignitatem agnoscat et maximis esset laudibus, quae verae aeternaeque hominum saluti tam prouida cura consultum esse voluit, vt omni tempore et vbique locorum viri existerent, quorum ope hominibus errorum vitiorumque tenebris circumfusis noua lux ad eos in rectiorem viam ducendos affulgeret. Nihil tamen fecius is, cuius animus non praecognito antiquitatis amore et admiratione correptus est, libenter dabit, placita atque praecepta ab istis viris proposita temporibus praeis tam apta et accommodata non fuisse, vt et timorem Numinis et ferociam animi illiberalemque *Φιλανθρωπίας* penitus abolere potuissent. Cum enim illi in constituendis disciplinis suis aut huius pravae temporum suorum conditionis nullam haberent rationem, sed longe alia consilia sequerentur; aut, si ad eam attenderent, admittis aliis quibusdam decretis vim praeceptorum suorum ipsi cohererent; aut placitis suis animos in contraria vitia deducerent; aut denique meliores suas sententias, vulgi superstitioni contrarias, vel arcanae cuiusdam disciplinae quasi mysteriis absconderent, vel, si qua fieri poterat, cum multitudinis opinionibus copulare studerent; recte concludi potest, eos satis graua et efficacia rectoris animi indolis quoad religionem atque mores praesidia non suppeditasse.

Iamque igitur eo prouecta est oratio nostra, in quo cardo rei vertitur, vt nimirum ostendamus, illud *remedium*, quod diuinus religionis Christianae auctor adhibuit, ad prauam istam generis humani conditionem corrigendam tollendamque, temporibus eius atque consiliis longe aptissimum fuisse et accommodatissimum. Cum autem hoc remedium in principio, cui Iesus doctrinam de moribus superstruxit, positum esse putemus, primum quidem hoc paucis exponendum et illustrandum est, vt deinde de eius vi et efficacia, ratione temporum, quibus Iesus vixit, habita,



eo accuratius et rectius disserere et ad propositum finem peruenire queamus. Loquentes autem de *principio*, cui *Iesus doctrinam de moribus superstruxerit*, id quidem innuere nolumus, auctorem religionis nostrae praecepta sua de virtutibus ac vitis, rebusque expetendis fugiendisue in artis normam redeigisse, siue, ut vulgo dicitur, de systemate quodam disciplinae moralis extruendo cogitasse. Hoc enim ei non fuisse, ac ne potuisse quidem esse in animo, et ratio consiliorum eius, et quaeuis librorum sacrorum pagina abuade docet. Attamen si ad vniuersam praeceptorum eius indolem ac rationem accurate attendimus, omnia veluti e communi quodam fonte promanasse, et communi inter se vinculo nexa videantur. Quaecunque enim Iesus de pietate erga deum, de vera virtute, et de recto felicitatis consequenda modo proposuit, retulit fere ad *amorem erga deum hominesque omnes*. Huic igitur tamquam fundamento inniti vniuersam eius doctrinam de moribus, tantum non omnes, qui hac de re exposuerunt, vnanimi consensu professi sunt; atque ipsi Iesu sermones, qui nobis sunt memoriae traditi, tam clara tamque perspicua eius rei continent vestigia, ut longa probatione non opus sit. Primum enim illud praeceptum disertis verbis *summum ac primum* appellauit, quo reliqua omnia comprehendantur.<sup>d)</sup> Propterea morti iam appropinquans discipulis suis idem *in primis ac denuo* commendauit atque incaleuit.<sup>e)</sup>

G 3

Porro

c) vid. S. V. SCHMID *über den Geist der Sittenlehre Jesu* etc. pag. 6—14. coll. p. 223—4. vnde patebit minus recte S. V. DÖDERLEIN (vid. eius *kurzen Entwurf der christl. Sittenl.* §. 106. p. 77. ed. sec.) negare, Christum principium aliquod doctrinae de moribus constituisse, propterea quod id populari institutioni non conueniat, sed soli artificiosae et scholasticae. Nec, quod pace tanti Viri dixerim, reliquae rationes ab eo allatae pro sententia sua, maiorem videntur habere vim. Omnes enim eo redeant, illud principium, quod ex vulgari sententia Iesus constituerit, aptum non esse ad perfectum omnibusque numeris absolutum systema doctrinae moralis ei superstruendum. Haec autem argumentandi ratio in quaestione historica, qualis haec est, locum non potest habere. Poterat enim Iesus causis longe grauissimis inducus illud principium reliquis omnibus praeferre, quoniam suis consiliis accommodatum erat; si vel minus aptum esset eorum rationibus, qui de systemate efficiendo cogitant.

d) *Matth. XXII, 35—40. Marc. XII, 28—31*. Quamuis vero Iesus illud praeceptum summum ac primum eorum tantum nominauerit, quae codex Iudaerum (*ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται*) contineret; tamen cum ad Iudaeos loqueretur, hi vero libris suis sacris omnes diuinae humanaeque sapientiae thesauros comprehendi putarent; inuuisse videtur illis verbis, amorem erga deum hominesque omnes esse omnium omnino praeceptorum summum ac primum; id, quod etiam iis, quae mox dicentur, confirmabitur. Caeterum neminem, puto, offendet, quod, quae Iesus tamquam duo diuersa praecepta distinxit, in vnum contraximus, cum *Iohannes*, optimus mentis Iesu interpres et locupletissimus horum praeceptorum commentator, testetur, ea verbis tantummodo disserere, re ipsa vnum idemque esse; vid. *ei. ep. I. c. IV, 20. 21. et c. V, 2*. Hinc, et saepenumero alterutrum solum tamquam summa legis commendatur, v. c. *ad Rom. XIII, 8—10. ad Gal. V, 14*.

e) *Ioh. XIII, 34*: Quicquid sibi velit illud



Porro assumptum aeternam omnium verae felicitatis fontem esse legis cuidam perito de modo salutis aeternae consequendae quaerenti respondit *Luc. X, 25-28*. Denique contra eos Iudaeorum magistros, qui amorem erga alios homines intra civitatis et amicitiae fines contrahendum esse suadebant, monebat, ne inimicos quidem, et alii civitati aut religioni addictos a benivolentia nostra eximendos esse; eum autem, qui huic praecepto convenienter agat, deo quam simillimum fieri, adeoque ad summum perfectionis fastigium euehit. Namque ut hunc amorem non tam praecipere ac iubere, quam potius animis hominum instillare, ibique alere ac fouere videretur, coniunxit cum illo praecepto talia de summo Numine eiusque erga homines sese gerendi ratione decreta, quae summum eius erga genus humanum fauorem ita declarant, ut animus ista perpendens non possit non ad mutuam erga deum atque eos impelli amorem, quos ille tantopere diligit. Propterea asseueravit, summam dei gratiam maxima beneficia, tam ea, quae per Christum hominibus tribuenda decreuerit, quam illa, quae natura, ipso auctore, in usum hominum conferat, nullo discrimine habito, probis et improbis large offerre et exhibere. Hinc et ipsum deum rursus ab hominibus amandum, eodemque amore haud distracto homines omnes, inimicos pariter et improbos, quam bonos et amicos esse comprehendendos. *8)*

Quam apte autem et accommodate ad tempora sua atque consilia Iesus huic erga Deum hominesque omnes amoris doctrinam de moribus superstruxerit, facile potest intelligi, si attenderimus, *quanta integrioris ac perfectioris virtutis, qua homines imbuiere volebat Iesus, impedimenta, qualesque corruptelae positae sunt in timore Numinis, animique ferocia et illiberali φιλοσυνοίᾳ; quamque effica-*

rud *εντολή καινή*, semper tamen notio praestantiae et grauitatis cuiusdam, qua haec *εντολή* prae caeteris excellat, adiuncta est. Hinc etiam Iesus *vs. sq.* mutuum discipulorum suorum amorem tamquam notam et insigne sectatorum disciplinae suae constituit.

f) *Matth. V, 43-48. coll. Luc. X, 29-37*. Caeterum nobis haec in causa potest esse perinde, qualis sit iste amor, quem Iesus praecepit, siue positus in sola actione, (*amor πρακτικός*) an etiam in interna quadam animi affectione, (*amor παθητικός*)? Huc affirmavit Kant in *Crit. der prakt. Vernunft*, p. 148. cui assentitur Schmidt l. l. p. 225. II. qui etiam alterius sententiae patronos laudauit. Neque vero solutio istius quaestionis ad nos pertinet, vtrum princi-

pium illud, a Iesu constitutum, sit eiusmodi, e quo cognitio eius, quod fieri debeat, hauriri possit, (*höchster Erkenntnisgrund*); an tale, quo impellatur animus ad agendum, (*höchster Bewegungsgrund*); an denique vtrumque simul? Etenim ratione eius rei, quam Iesus in constituendo doctrinae de moribus principio spectabat, vis eius atque efficacia eadem manet, quomodo-  
cunque illas quaestiones definierit.

g) vid. *Matth. V, 44. 45. Ioh. III, 16. 17. coll. I Ioh. IV, 9. 10. 19*. Adde his omnibus, Iesum tota vita illud praeceptum quasi in illustri quadam imagine expressum nobis reliquisse, ita ut exemplo quoque suo ad illud obseruandum nos excitaret et cohortaretur. *Ioh. XIII, 15*.



*eam huic tantae generis humani labi medicinam* adhibuerit Iesus principio illo doctrinae de moribus, quod modo exposuimus. Primum enim amore erga deum hominesque omnes *ipsa virtutis natura et quasi forma augustior ac honestior reddebatur*. Qui enim non nisi metu compullus, atque iram Numinis et impendentes inde poenas extimescens vitis et sceleribus sese abstinet; aut qui tantummodo *partium studio et suae utilitatis causa* virtutem colit; eius virtus nec est verae virtutis nomine digna; nec perdurandi habet vim, quoniam non exercetur, nisi quatenus et quamdiu expedit. Ita vero prava ista de deo cogitandi et erga alios sese gerendi rationes, qua laborabat prisca aetas, omnes virtutis stimuli et incitamenta corrumpebantur. Cuius contra animum *amor erga deum homines, que omnes* occupatum tenet, et ad virtutis studium incitat, is nec metus vi adactus, nec lucri foeda cupidine allectus, sed deum, perfectissimum omnis virtutis atque honestatis exemplar, amans, ipsa virtutis et honestatis dignitate ac pulcritudine captus eam colet; atque homines omnes, tamquam eiusdem parentis liberos, amore non distracto complectens, vltro, semper et vbique id faciet, quod rectum, decens, iustum et aequum esse intelligit.

Hinc illo amore non externae tantum honestatis ac virtutis quaedam species efficiebatur, sed *animus ipse emendabatur*. Ad utilitatem quidem ex virtute eliciendam iam sufficit, eius aliquam prae se ferre speciem, nec opus est, vt pravae cupiditates ipsae radicibus ex animo euellantur. Cauendum est solummodo, ne in aliorum oculos incurrant vitia, nec aperta vi et fraude alios exacerbemus, nobisque insensos reddamus. Ita etiam *animi ferocia* ob insignem robur et animi et corporis, quod eam plerumque comitatur ac sustentat, externo quodam splendore gaudet, quo oculos imperitorum in se conuertit; sed saepenumero diras contegit cupidines, quae, si quando lacesantur, aut expleri satis non possunt, eo vehementius irruunt, fas nefas perinde habentes. *Timor vero dei* compescere quidem potest feras libidines, nec sinit, vt effrenatae erumpant, sed in ipsos animi recessus et quasi interiora latibula penetrare non potest. Hinc illiberalibus illis et seruilibus virtutis dei que cultoribus, quales plurimi Christi temporibus erant, satis fere erat, manus a sceleribus puras et intaminatas conseruasse, etsi animus ipse malitia et vitiosis scateret cupidinibus. Ast vero, qui sincero *erga deum hominesque omnes amore* tenetur, is omnes suas cogitationes, sensa et cupiditates ita dirigit et componet, vt neque deo displiceant, neque aliis obesse possint; nec videri volet virtutis studiosus, sed esse; et quamuis dei iram non perhorrescat, omnia tamen omittet, quibus ei displicere, eiusque beniuolentia indignum sese reddere possit.

Inde porro sequitur id, quod illo amore *cultus diuinus liberatior ac supremo Numine dignior effectus est*. *Timor enim dei* vniuersam eius colendi rationem

COM-



commutat fere in superstitionis caerimoniarum sacrarum observationem. Satis fieri enim putamus eius voluntati, quem timemus, si quam exactissimū sumus et studiosissimi in omni genere eum colendi, venerandi et honorandi <sup>4)</sup>. Quo quis igitur praefcis temporibus erat religiosior, eo magis curabat, ne quidquam eorum negligenter aut omitteret, quae ad Numen placandum, et reverentiam erga illud suam significandam pertinere putabat. Inde enatus est immensus ille caerimoniarum ac rituum ad cultum diuinum pertinentium numerus, in quibus observandis praefci homines tam cauti et curiosi erant, ut, si quid forte in iis neglectum aut temere factum esset, novis ritibus opus esse censeretur ad eiusmodi scelus expiandum; Numinisque ea re grauius offensi iram leniendam. Nec vllibi magis illud πνευμα δεισιος in cultu sacro atque inde oriunda θελοδρησικει obtinebat, quam apud Iudaeos, qui, quamvis saepe numero a doctoribus suis diuinitus olim excitatis meliora edocui essent, tamen Pharisaeorum imbuti opinionibus, eorumque exemplo abducti circa istud externorum rituum vauum studium insaniebant fere, atque in eo summam fere virtutis ponebant. Huic autem superstitioni nihil magis aduersatur, quam amor dei, quippe qui λατρειαν dei λογικην reddit, quae sit εν πνευματι και αληθειαι, quae nulli loco, nulli tempori, nullis ritibus adstricta, quae omnis metus expers est, et ipsa re se exserit. <sup>5)</sup> Cum enim ea sit amoris natura, ut, quem diligimus, ab eo rursus diligere cupiamus, et ad eius voluntatem et exemplum nos componamus; is, qui deum amat, fauorem eius ac beniuolentiam haud inani cultu, vanisque caerimoniis sibi conciliare studebit, sed vera animi pietate, morum integritate, vitae sanctitate, et inprimis humanitate et benignitate erga omnes homines. Persuasum enim habet, hisce virtutibus proxime ipsum ad similitudinem dei, quem diligit, accedere.

Eodem denique erga deum hominesque omnes amore animus ad omnis generis virtutes, excellentiores quoque ac difficiliore, exorcedas erigebatur et habitus reddebatur. Omnis enim timoris ea est vis, ut animum deiciat ac debilitet, eiusque ardorem reslinguat atque coerecat. Non enim patitur, ut homo vires suas omnes libere exerat, atque ad magnitudinem quandam et excellentiam adspiret. <sup>6)</sup> Ferox autem animi indoles vbi dominatur, ibi nulla illustrior ac splendidior

<sup>h)</sup> Multa huius rei testimonia dabunt EUCLIANVS et PLVTARCHVS, ille in libro περι θυτων; hic περι δεσιδαιμονιας, Ipsa autem religionis notio, quam supra e etc. laudauimus, hoc probat; positam enim esse eam, aiebat, in metu et caerimoniis deorum. cf. etiam finitiones sanctitatis et pietatis, quas id. de nat. dd. I. 41. assert.

<sup>i)</sup> cf. Rom. VIII, 15. Col. II, 23. Rom. XII, 1. Ioh. IV, 23. I. Ioh. IV, 18. et c. V, 3. vid. etiam GERONTIUS de verit. rel. Christ. II, 11. coll. I. V, 8.

<sup>k)</sup> Obseruauit hoc iam PLVTARCH. qui in lib. περι δεσιδαιμονιας inter alia haec quoque habet: την δεσιδαιμονιαν και μηρηει τερομια, δοξαν εμπροθη και δεει ποιητην υπολη-



Idior agnoscitur virtus fortitudine bellica; haec quasi κατ' ἐξοχην virtutis nomine appellatur, et *viris* propria assignatur; <sup>1)</sup> huic maximi imo diuini honores decernuntur; posthabentur autem eae virtutes, quibus domi ac pacis tempore aliquis de aliorum salute promereri possit; <sup>m)</sup> quae tamen, siue vires species, quibus producuntur, siue commoda inde oriunda, suo pretio, honore ac splendore non sunt destituendae, imo bellicis virtutibus saepenumero longe anteponendae. *Illiberalis* denique *Φιλαυτία*, quam parum apta sit ad excellentiores virtutes et gratiores suscitandas et nutriendas, per se patet. Haec enim hominem infra dignitatem ipsi innatam ponit, animumque ita contrahit, ut homo sibi soli natum esse se putet, ac pro aliorum salute laborare, pericula subire, iacturam facere stultum et absurdum, nihil autem vile ac turpe iudicet, quod ipsius utilitatem promouere possit. Alia vero omnia suadebat atque exigebat Iesus praecipiendo amorem erga deum hominesque omnes; hic enim amor cunctas et animi et corporis vires ad agendum excitat et exercet, virtutisque genus omne alit ac fouet. Quodsi enim amor patriae in antiquis populis iure tantopere celebratus, (quamuis et ipse saepius honorum, gloriae ac potentiae cupidine insatiabili, quam vera ciuium caritate niteretur; interdum etiam cum aliorum iniuria coniunctus esset,) quodsi, inquam iste amor tam foecunda fuit parens egregie, magne et splendide factorum; quanto magis eiusmodi amor, qualem Iesus praecepit, animum ad quaeuis bona, recta et honesta patranda excitabit, et summo de aliis bene merendi ardore incendet! Nulla enim res tam ardua, nullus labor tam difficilis, nihil omnino tam mole-

ἰποληψίαν ἁπάντων εὐταπεινάντος καὶ συντριβόντος τοῦ ἀνδραπόου. vid. ei. Opp. T. II. p. 165. lit. B. Et ib. lit. D. ait: Φοβῶν πάντων ἀπραμτοτατος καὶ ἀπορωτατος ὁ τῆς δεσποτικῆς, quoniam ὁ τὴν τῶν θεῶν ἀρχὴν ὡς τυραννίδα φοβούμενος συνδραπέην καὶ ἀπαραιτήτην (p. 166. lit. D.) omnia timer, quaecunque ei obuenerint. Simili ratione in tyrannicis imperiis, vbi subditi minorum terrore poenatumque atrocitate ad obsequium coguntur, excellentiores ingenii animique dotes dura quasi seruitute oppressae et obrutae iacent, neque ita efflorescunt tamque praeclaros edunt fructus, quales in mitioribus ac liberioribus imperiis conspiciere licet.

1) cf. 1VS T. XLIII, 2. §. 8. et cap. 5. §. 1. c. 1c. de nat. dd. III, 19. §. 50. et innumeris locis apud poetas, quibus *virtutem* pro for-

titudine bellica ponere solemne est. Satis autem notum est, ipsa *virtutis*, ἀρετῆς, *artis* vocabula huic rei originem debere, atque a peculiari artis et virtutis, quae armis et pugnando valet, significatu ad generaliore omnium artium et virtutum esse translata.

m) cf. CAES. de bel. Gall. V, 56. 1VS T. XLI, 3. §. 7. c. 1c. de off. 1, 18. §. 61. et c. 22. ib. II, 13. §. 45. et de nat. dd. l. l. vbi: In plerisque, inquit, ciuitatibus augendae *virtutis* gratia, quo libentius reipublicae causa periculum adiret optimis quisque, *virorum fortium* memoria honorum deorum immortalium consecrata. cf. etiam loci, quos GROTIUS (l. l. c. 12. not. a.) de rep. Lacedaemonum ex *Aristot.* et *Enrip.* excitauit.

H



sum, aerumnosum atque terribile est, quod suscipere, aggredi, et exsuperare is siue detrectet siue non possit, qui et vniuersum genus humanum beniuolentia complectitur, et tali in ipsam perfectissimam naturam fertur amore, vt eam, tamquam illustre quoddam exemplar ad imitandum propositum, intueatur ac sequatur.

Quae cum ita sint, nemo facile infitias ire audebit, principium, cui religionis Christianae auctor doctrinam de moribus superstruxit, temporibus eius atque consiliis aptissimum et accommodatissimum fuisse. Cum enim Iesus praeter alia saluberrima consilia nostrae salutis causa suscepta hoc quoque in primis haberet propositis, vt disciplina sua genus humanum integriorem ac perfectiorem edoceret virtutem, in eaque colenda ad altiora semper fastigia eueheret: bene intellexit pro singulari ac vere diuina, qua gaudebat, prudentia, grauissima impedimenta, quae salutari ipsius consilio sese obicerent, posita esse in praua temporum suorum conditione. Vt igitur illa remoueret, hanc ante omnia corrigendam tollendamue sibi sumsit. Opus igitur erat, vt *superstitiosum illum Numinis timorem*, verae ac sincerae virtuti perniciosissimum expelleret ex animis hominum, eosque liberorum instar ad auctorem suum et parentem optimum adduceret, quem hucusque seruili animo tamquam dominum seuerum perhorruerant, Neque vero minus abolenda erat *ferox illa et illiberalis erga alios sentiendi agendique ratio*, quae in plurimorum animis ita grassabatur, vt homines a se inuicem abalienarentur, vinculaque humanae societatis laxarentur ac rumperentur. Homines igitur hominibus reconciliari, atque omnes omnino fratrum instar tenero beniuolentiae sensu sese complectentium arctissime copulari debebant. Hinc apparet, nulla ratione melius in exsequendis consiliis suis versari potuisse religionis Christianae auctorem, quam ita, vt cuncta morum praecepta ad *amorem erga deum hominesque omnes* referret, eumque omnis virtutis fontem constitueret. His itaque rite et accurate perpensis, quis non admiretur, veneretur ac celebret summam Domini nostri, Iesu Christi, Saluatoris optimi, sapientiam! Quis non agnoscat hac quoque in re doctorem generis humani plane diuinum, qui, quaecunque monenda, praecipienda et proponenda erant, ita instituit, vt et temporibus atque consiliis suis quam maxime essent apta et accommodata, et hominibus ipsis longe utilissima ac saluberrima.



Fg 5343

ULB Halle 3  
007 669 100



vid 11









PRINCIPIVM  
CVI RELIGIONIS CHRISTIANAE AVCTOR DOCTRINAM DE  
MODIS SUPERSTRVXIT AD TEMPORA EIVS ATQVE  
MISSIME ET MAXIME ACCOMMODATE  
CONSTITVTVM.

DISSERTATIO

QVA

1792  
O MAGNIFICO  
BILI EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
CO VOLKMAR REINHARD

NOMINE EORVM  
CVSQUE SVB EIVS AVSPICIIS  
SCRIPTORES ANTIQVOS SCRIBENDO  
ERENDO SE EXERCVERVNT  
FAVORE ET FIDELISSIMA CVRA  
SOCIETATI ILLI PRAEFVIT  
ES PERSOLVIT

SIMVLQVE

SPLENDIDISSIMA MVNERA  
AVLICI PRIMARIJ ET CONSILIARIJ  
XONIAE IN SENATV ECCLESIAE  
T CONSISTORIO SVPREMO  
ENTI GRATVLATVR

AVCTOR

ALMVS TRAVGOTT KRVG

LL. AA. M. ET SS. LL. C.

CAL. APRIL. A. O. R. MDCCXCII.

ERIS CAR. CHRIST. DÜRRII.

